à mon cher ami et collaborateur
Salomon Reinach —
en souvenir de notre amitié cimentée à Myrina
Edmond Pottier

# QUAM OB CAUSAM

# GRÆCI IN SEPULCRIS FIGLINA SIGILLA

# DEPOSUERINT

Bibliothèque Maison de l'Orient
167014

TOLOSÆ. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28.

2

# QUAM OB CAUSAM

# GRÆCI IN SEPULCRIS FIGLINA SIGILLA

# DEPOSUERINT

---

THESIM

PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

**E. POTTIER**

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS, GALLICÆ QUÆ EST ATHENIS SCHOLÆ NUPER SOCIUS

PARISIIS
APUD ERNEST THORIN EDITOREM
7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7

MDCCCLXXXIII

MAGISTRO ET AMICO

P. FOUCART

D. D. D.

# QUAM OB CAUSAM

# GRÆCI IN SEPULCRIS FIGLINA SIGILLA

## DEPOSUERINT

---

## PROOEMIUM

Jamdiu compertum habemus quædam ex argilla sigilla Græcorum sepulcris contineri. Quam sint plurima, qua divina humanave specie diversa, qua exquisita arte sint elaborata, pervulgatum est. Quid autem sibi voluerint, quid mortuis prosint, quam viventium religionem testentur, nondum enucleatum. Doctis quidem interpretibus non desunt argumenta quibus rem dilucide explanare tentaverunt; nobis tamen, fateor, superest nonnulla ambigendi materia. Adeo enim varia atque dissimilia inter se disputantibus placuerunt! Quas quidem opiniones singillatim pertractare nobis in animo est, quo diligentius rem versemus atque undique inspiciamus. Quam diversæ, quam discrepantes, quam ambiguæ sæpius sint, aliquis forte mirabitur; sciat autem ne unum quidem ex antiquis scriptoribus verba fecisse de hoc in exsequiis sigillorum usu. Inde fit ut alii

alio rem trahant, ut sua cuique pateat via, velut in aperta quadam ignotaque regione.

At enim, quæ spes est, cum documenta ab antiquis tradita desint, cum summa sit inter doctissimos spectatosque recentium temporum viros dissensio, quæ spes solvendi impeditam hanc quæstionem ea dijudicatione quæ omnibus comprobanda videatur?

Primum quidem, non est quod putes omnino deficere apud scriptores antiquos de figlinis sigillis testimonia. Hoc tantummodo desideratur, ut sciamus quam ob rem, qua religione juxta mortuos in sepulcris imagunculæ sint depositæ. Qua vero arte fabricatæ, in quibus officinis confectæ, qua negotiatorum copia convectæ atque venditæ, quo sacrorum ritu in honorem deorum usurpatæ per longam sæculorum seriem floruerint, id plane apertum atque dilucidum apparebit cuique majorum scripta aut monumenta perscrutanti. Quæ eruditionis nostræ adjumenta, vereor ne parvi fecerint nostri inter se de figlinis sigillis disputantes. Mihi igitur in animo est eadem pervolvere; nonnihil ad pendentem litem me collaturum opinor, transgressus a noto communique sigillorum usu ad hunc subobscurum in funeribus usum.

Præterea nobis licuit, singulari quadam fortuna, accuratius inspicere qui fuerit mos exsequiarum apud Græcos. Propria manu, ut ita dicam, effodimus illas imagunculas, quæ sepultis ossibus mixtæ in peranti-quo pulvere recubabant; dies multos peregimus in hac colligenda mortuorum supellectile, quæ, vitæ funebris instrumenta et ornamenta, defunctos nescio

qua viventium specie adornabat; multa millia sepulcrorum ipsis oculis scrutati, et quædam figlinis sigillis referta, quidquid ad funebrem usum intererat, quantum fieri potuit, perscripsimus.

Quid inde fit? Ex illa duplici scriptorum et monumentorum indagatione, num præclarum aliquod exorietur documentum, quo lux veritatis vel clausis oculis præfulgeat? Haud equidem immodica cupio. In hac disputatione de rebus certis nec ullo modo dubiis non agitur; nobis quoque nonnihil arcani servaverunt sacra mortuorum monumenta. Satis habeamus si quis, opusculo nostro perlecto, paulo certior de hac re fiat nec omnino dubius, æque ac venerat, e novo itinere redeat.

Duplex igitur habebimus disputationis argumentum. In priore parte, qua ratione recentiores scriptores interpretentur figlina sigilla in sepulcris Græcorum reperta, et quid in illorum opinionibus claudicare nobis videatur; in posteriore, quid e majorum scriptis ac monumentis intelligi possit de communi horum sigillorum usu et quo modo illustretur quod spectat ad funebrem usum, explicare tentabimus.

# PARS PRIOR

## CAPUT PRIMUM.

### AN FIGLINA SIGILLA AD BACCHI MYSTERIA PERTINEANT ET IN SEPULCRIS MYSTARUM SINT DEPOSITA?

Recens admodum nata est de figlinis Græcorum sigillis controversia, quamvis jamdiu moveant studia illorum qui in antiquis rebus intelligunt, quamvis ædificiis nostris, tum privatis, tum publicis, exquisita habeantur ornamenta. Nondum enim viginti sunt anni, ex quo vir quidam, rerum antiquarum studiosus, nonnulla fictilia, quæ ipse comparabat, in Campaniæ sepulcris reperta rationis et eruditionis præceptis ordinare atque interpretari conatus est (1). Si quid peccare audaciore et imprudenti ingenio videbitur, haud mirabimur. Pauca in promptu erant simulacra; cuncta ex eadem regione oriunda nec non arte mediocri elaborata; alia non cognoscebat cum quibus sua con-

(1) P. Biardot, *Explication du symbolisme des terres-cuites grecques de destination funéraire*, Paris, Humbert, 1864. *Les terres-cuites grecques funèbres dans leur rapport avec les Mystères de Bacchus.* Texte et atlas de 54 planches, 2 vol. Paris, Didot, 1872.

ferre potuerit, cum intra decem hos annos in lucem prodierit eximiorum copia sigillorum, quæ præsertim e Bœotiæ sepulcris, ut ita dicam, evolavit. Haud igitur operæ pretium erit reprehendere quæ falsa noverimus, quæque ipse expurgaverit auctor, certiore rerum cognitione doctus. Quo modo enim dicere possit, Tanagræorum miracula contemplatus, id insolenter evenire ut sigillum quoddam delicatam Græcorum elegantiam redoleat, pleraque autem simulacra nescio qua asiatica rusticitate deformari (1)? Quo modo neget Plinii ætate servari adhuc figlinam artem, cum tot sigilla Romanorum civium et etiam imperatorum vultus referant (2)? Quo modo contendat neque artificum nomina unquam fuisse sigillorum argillæ impressa, neque vocabula defunctorum sepulcris, quæ figlina opera continent, inscripta, neque nummos in iisdem deposita (3)? Sed hæc hactenus. Nihil nisi summam rei cupio attingere.

Quam quidem hoc modo breviter complecti licet : omnia figlina simulacra in Græcorum sepulcris reperta ad deorum cultum pertinent, scilicet ad secreta illa Bacchi mysteria quæ Græciæ atque Asiæ religiones in unum junxerunt et permiscuerunt, auctoribus Orphicis et Pythagoricis philosophis. Ne publicæ quidem sunt pietatis et religionis imagines. Quid autem in mysteriis ageretur, quæ cærimoniæ, quæ sacra, quæ numina, qui ministri, quæ instrumenta

(1) Biardot, *Terres-cuites grecques funèbres*, p. 181.
(2) *Id.*, p. 488.
(3) *Id.* , p. 488-489.

adhiberentur, vera specie mystarum oculis subjiciebant; ita ut nulli fas esset, nisi mystis, ejusmodi simulacris uti et secum in sepulcro habere, quippe quæ rerum omnium cognitionem mystis traditam et patefacta vitæ mortisque arcana significarent (1).

Hoc primum, opinor, est animadvertendum nihil esse neque in majorum scriptis, neque in lapidum titulis, neque in ipsis monumentis, unde hæc interpretatio ducatur. Quæ quidem, ut videtur, e sola contentione ingenii cujusdam quasi præsentientis et divinantis nata est, ita ut, si quid veri in illa contigit, potius casu repertam quam ratione excogitatam veritatem dicas. Id tamen intactum omittam; imo, auctoris sententiæ accedam, quanquam mihi repugnat rem sine ullo argumento, sine ulla scriptorum aut monumentorum auctoritate accipere. Videamus autem quæ secutura sint.

Quod si ita res se habet, necesse est ut cuncta figlina sigilla, in Græcorum sepulcris deposita, ad eumdem tendant finem, scilicet ut omnia mysteriorum religionem vera imagine referant. In quam ancipitem viam hoc consilium produxerit interpretem, quæ incerta et insolita excogitaverit ad explicandam sigillorum speciem diversissimam, non satis admirari licet. Sunt quidem plurimæ imagines quæ, specie quanquam vulgares aut deridiculæ, artificio quodam solerti ad res sacras referri possint Si quid enim rogamus de comicis personis, de his-

(1) Biardot, p. 53-54. Cf. *Append.* (1).

trionibus, qui præsertim in Græcis Asiæ sepulcris reperiuntur, expedite dicitur omnia hæc simulacra quasi comites et ministros Baccho hærere (1) ; si quid de mulieribus comptis et facetis, quarum festiva cohors e Bœotiæ tumulis evasit, eædem Musarum sive Baccharum nomine consecrantur (2). At enim, quo modo ad religionem attinent cuncta illa quæ pueris crepundia videntur fabricata, seu mobilia nervis alienis sigilla (3), seu animalia calculis inditis resonantia (4), seu equus figlinis rotulis circumactus (5)? — Quid, ais, pueris crepundia? Forsan vulgo ita se res habet. Verum ingenio mystarum vilia quæque divinum quemdam sensum habent, nec quicquam aliud significant illæ quæ dicuntur plangunculæ, nisi totum rerum humanarum opus quod flectit et regit, tanquam nervis, summa Numinis prudentia (6) ! Quid, porcellus aut equus infantium oblectationi dediti? Nihil aliud, nisi imagines sunt animorum in alias atque alias formas transeuntium, qui vitæ humanæ vitiis et sceleribus prægravati, diis damnantibus, in impura bestiarum corpora rediguntur (7) ! Hac aperta ad demonstrandum via, de ceteris non laboramus. Si puerulum videbis fasciis involutum, solem

(1) Biardot, p. 101-102, 167.

(2) *Id.*, p. 172, 285, 286.

(3) Martha, *Catalogue des figurines en terre-cuite du Musée de la Société archéologique d'Athènes*, p. XXII, n°ˢ 521-524, 695-698, 796-805.

(4) *Id.*, n°ˢ 168, 172, 173, 174.

(5) *Id.*, p. XXVI, n° 85.

(6) Biardot, p. 142. Cf. *Append.* (2).

(7) *Id.*, p. 143, 160. Cf. *Append.* (3).

agnosces orientem; si adolescentulum nudum et zona præcinctum, solem vigentem; si vetulum quemdam, solem in vesperum inclinantem (1). Nihil est quod vera et simplici forma interpretari liceat. Omnia hæc simulacra sacram et secretam vim continent, quæ, per occultas cærimonias mystis prodita, vulgo res muta et inviolata habebatur. Inde factum est ut mystis tantum fas esset, obscurum sepulcri recessum lepidis illis imaginibus ornare, quæ defuncto totius mundi ordinem, religionis præcepta et exspectatas vitæ novæ delicias commemorarent.

Quid plura dicam? Res exposita est. Quod si hanc interpretationem ex omnibus partibus pertentaveris, nihil invenies quod argumento quodam exploratum, rebus cognitis comparatum, scriptorum fide aut monumentis confirmatum esse videatur : omnia autem excogitata, ficta et, ut ita dicam, fundamentis inanibus superstructa. Cujus opinionis initium ex eo ductum est, quod nulla apud antiquos scriptores mentio habeatur de figlinorum sigillorum usu (2). Etiamsi res ita se habeat, haud recte inferas religionis causa et sacrarum rerum reverentia siluisse scriptores. Plurimum autem a veritate abest. Sunt auctores qui, nisi longa et accurata explanatione, aperto quidem nec ambiguo modo de frequenti sigillorum usu et commercio verba fecerint. Sunt monumenta quæ nobis ostendant figlinas imagines, nunc quibusdam numi-

(1) Biardot, p. 145. Cf. *Append.* (4).
(2) *Id.*, p. 487. Cf. *Append.* (5).

nibus consecratas, nunc pueris et mulieribus sicut munuscula datas. Nonne igitur æquum est omnia primum illa loca et monumenta accurate pertractare, quo diligentius inspiciamus si quid in rebus cognitis aptum videatur ad explicandum funebrem sigillorum usum? Quod quidem in eum locum, quo nostram de hac re sententiam ordinatim dicturi sumus, differemus.

Nec solum fidem scriptorum et monumentorum imprudenter prætermissam reprehendemus. Imo negamus fore ut quisquam huic interpretationi indulgeat, si modo quid audiverit de sepulcris in Græcia aut in Asia nuper effossis. Quanquam sibi placet auctor, quod animadvertit plurima sepulcra vacare, atque inde affirmat, sepulcra figlinis sigillis referta proprie mystarum esse (1), arma dat, ut aiunt, resistentibus. Verum est enim, non solum perpauca sepulcra in eadem regione figlinis sigillis ornari (2), sed etiam quasdam regiones simulacris illis redundare, alias autem et quidem propinquas iisdem omnino carere. Si quis, exempli gratia, Atticum sepulcrum effodiet, nulla aut admodum rudia simulacra reperiet; si quis Bœoticum, multa et quædam eximia arte elaborata sigilla. Inde fiet, si proposito auctoris consentiemus, ut Athenæ, caput illud rerum Græcarum, sacrum religionis domicilium, clarissimis templis exornatum, Dionysiis et solenni ad Eleusin pompa celebratum,

(1) Biardot, p. 37. Cf. *Append.* (6).

(2) *Bulletin de correspondance hellénique*, VI, *Fouilles dans la Nécropole de Myrina*, p. 407.

perpaucos habuerit mystas, Tanagra autem, ignobilis quidam Bœotiæ vicus, mystarum multitudine primas partes obtinuerit!

Quid plura? Nihil nobis in hac interpretatione superest, quod proprium faciamus, quippe quæ nullam e rebus notis atque probatis sive apud majores sive apud recentes usurpet auctoritatem (1). Donec res muta et obscura nobis habebitur sacra mysteriorum doctrina, in incerta atque ambigua præceps devolvetur, si quis ex eadem doctrina aliquid ad interpretandas res antiquas colligere conabitur. Quantum nocuerit illa investigandi ratio interpretibus fictilium vasorum pictis figuris ornatorum, quot incredibilia, quot inania produxerit, haud ignoramus; nec mihi soli displicuit, sed doctorum spectatorumque virorum opinioni assentior, qui omnia illa argumenta e mysteriis deducta « somnia » dicere non dubitaverunt (2).

(1) Hanc quoque opinionem improbavit Heuzey, *Monuments grecs publiés par l'association pour l'encouragement des études grecques*, 1874, p. 13. Cf. *Append.* (7).

(2) De Witte, *Gazette des Beaux-Arts*, décembre 1862, p. 531. Cf. *Append.* (8).

## CAPUT SECUNDUM.

### AN FIGLINA SIGILLA AD DECORANDA DEFUNCTORUM SEPULCRA, VELUT AD ORNANDAS VIVENTIUM ÆDES, USURPATA FUERINT ?

Altera, quæ placuit, opinio plurimum priori antecellit, quod de rebus notis disserit et documentorum a majoribus acceptorum præsidio commendatur. Scilicet in sepulcris depositæ sunt imagunculæ, eadem ratione qua Græci urbem, porticus, gymnasia, balnea, theatra, non solum publicas ædes, sed etiam privatas, simulacris aut tabulis ornaverunt, ita ut, in quocumque loco versarentur, ante oculos lepidissima artis opera haberent. Hæc igitur sententia novam investigandi rationem in quotidianæ vitæ institutis quærit. Quod si enim constat singula, quæ mortuis suppeditari solent, strigiles, arma, specula, acus, capsas unguentarias, cujusque generis vasa, quotidiano usui et tractationi viventibus fuisse, quid obstat quominus sigilla quoque suum in ædibus privatis locum tenuerint (1)? Quid mirum, Græcos curasse ut in se-

(1) 1° O. Lüders, *Bulletino dell' Instituto archeologico*, 1874, p. 122. Cf. *Append.* (9).

pulcro defunctus non modo paratam ad necessitudines supellectilem, sed etiam res ad luxuriam et delectamentum accommodatas in promptu haberet? Non igitur recte existimes omnia hæc simulacra ad res funebres proprie pertinere. Primum enim viventium erant, quorum domum ornabant, quos grato et lepido aspectu recreabant. Nunc, in sepulcro deposita, eumdem sepulcro apparatum, eamdem defunctis delectationem præbent.

Omnis enim erga defunctos cultus ex illa opinione quasi defluxit, Manes in sepulcro nescio quam vivere vitam et iisdem voluptatibus, necessitatibus, otiis et laboribus indulgere, quibus in terra solebant. Hoc igitur munus, hoc decus, hoc solatium cognatis atque amicis, ut quidquid prosit ad defunctum nutriendum, exercendum, recreandum, suppeditent. Inde fit ut convivia instaurent, quorum particeps et præses esse defunctus creditur; inde in sepulcro vasa cibo plena ut vescatur, pocula ut potet, capsas unguentarias, specula, ornamenta ut corpus vestiat et exornet, strigiles ut luctetur, arma ut venetur et militet, deponunt. Num fieri poterat, ut omitteretur exquisita

2° Martha, *Catalogue des figurines en terre-cuite*, 1880, p. XXVII. Cf. *Append.* (10).

3° H. von Rohden, *Die Terracotten von Pompeji*, Stuttgart, Spemann, 1880, p. 25, 26. Cf. *Append.* (11).

4° Cartault, *Collection Camille Lécuyer*, *Terres-cuites antiques trouvées en Grèce et en Asie Mineure*, 2e fascicule, 1882. Article sur un *Grand masque satyrique*, pl. D². Cf. *Append.* (12).

5° Lenormant, *Gazette des B.-Arts*, mars 1882, p. 215, 216. Cf. *Append.* (13).

hæc voluptas, Græcorum ingenio spectatissima, quæ ex artium studio percipitur? Nonne tolerabilius mortis ærumnas et sepulcri solitudinem patietur, si imagines juxta se depositas sentiet, quibus gaudebat vivus, quarum aspectu præterita vitæ instituta, voluptates atque etiam facetias in memoriam revocare poterit? Ut viventi domus, ita mortuo sepulcrum : nihil discriminis interest.

Huic opinioni singulare quoddam adjumentum præbere indagationes videntur, quæ, nostra ætate, Pompeianæ civitatis monumenta, vias, templa, privatas ædes et tabernas rursus in lucem protulerunt. Quanquam enim non magna vis figlinorum operum e ruderibus exorta est, non desunt comminuta vel etiam integra sigilla, quibus artem figlinam in hac urbe viguisse constat. Hoc autem maximi momenti documentum, quod in quibusdam ædibus suo loco etiamnunc stantia apparebant. Loculis enim in pariete excisis continebantur, ita ut interiores ædium partes aut hortorum muros exornarent (1). Inter quæ si deorum dearumque figuras animadvertes, loculos illos esse lararia dices, in quibus dii penates exponebantur. Quod si nihil divini specie et habitu præbent, grato aspectu aut artis elegantia placuisse existimabis, neque aliud quam domus ornamenta significasse (2).

Res exposita est; neque nobis in animo est ejusmodi interpretationem tot documentis, tot exemplis

(1) H. von Rohden, *Terracotten von Pompeji*, p. 21, 22, 24, 47.
(2) Cf. Rohden et Cartault, *Append.* (11), (12).

confirmatam omni modo respuere. Imo vero, in posteriore opusculi nostri parte manifesto senties, quid utilitatis ex illa opinione perceperimus, quo modo de pluribus rebus omnino consentiamus. Nunc autem, de qua re dubitemus, dicendum est. Mea quidem sententia, figlina sigilla in promptu erant viventibus; non tamen ea quæ præsertim domum exornarent, sed quæ præcipue ad privatam publicamque religionem pertinerent. In hac disputatione non is sum qui sigillorum usum quasi arcta religionis lege terminare velim; fieri enim potuit ut ædibus ornandis nonnunquam profuerint. Valde autem dubito, an figlinæ artis quasi principium et fontem in hoc privato usu quærere liceat?

Hoc enim neglectum atque prætermissum a disserentibus animadvertes, non modo in sepulcris et in privatis ædibus, sed in deorum delubris reperta fuisse sigilla. Neminem fugit, quot figlina anaglypha et simulacra in Atticis Asclepii et Dianæ sacrariis, in Tegeæo Cereris templo (1), in Olympiaco Junonis (2), in Cyprio Veneris (3), in Italicis Joviæ Damusæ et Neptuni fanis (4) e terra effossa fuerint. In quibus, non solum deorum dearumque imagines, sed etiam mythicas domesticasque figuras esse constat, ita ut

(1) Martha, *Catalogue des figurines en t. cuite*, p. VIII, XI, XII, nos 541-626.

(2) Bœtticher, *Olympia*, p. 235.

(3) *Bull. de Corr. hell.*, III, p. 85-93. Heuzey, *Catalogue des figurines antiques de terre-cuite du Musée du Louvre*, t. I, p. 162-169.

(4) *Mélanges d'archéologie et d'histoire de l'Ecole française de Rome*, I, p. 381-382; II, p. 401-402. Lenormant, *Gaz. des B.-Arts*, t. XXI, p. 114-121, 218-228.

forma et specie minime a Pompeianis aut funebribus Græciæ et Asiæ sigillis differant. Quod quidem impedit, ne affirmemus religionem omnino abesse a sigillis quæ ad res domesticas pertinent. Fieri poterat, opinor, ut numinibus consecrarentur, licet forma et arte a rebus divinis alienata.

Præterea, si ipsa Pompeiana attente inspicies monumenta, haud dissimilis menti occurret sententia. In loculis quibusdam deorum imagines cum ceteris figuris consociatæ describuntur, ita ut æquo jure dicas sæpe fuisse collocatas sub tutela et patrocinio Penatium has etiam imagunculas quæ ad res domesticas pertinent (1).

Nobis igitur nonnihil dubitationis superest, num viventes sigillis figlinis usi sint, præcipue ut domum exornarent. Quod ad funebrem usum attinet, hoc quoque dubitamus, an mos valuerit eadem sigilla, quæ viventi placebant, defuncto dare. Ut aliquando illa res evenerit, ut lugenti matri placuerit cum pueri corpore crepundia in sepulcro deponere, ut sigilla ab amico condonata moribundus secum in sepulcro sepeliri jusserit, fieri potuit, atque ipsi quædam ejusmodi exempla proponemus. Sed multum abest, ut quasi legem et normam funeris hoc usu constitutam existimemus. Imo vero, censemus pleraque sigilla in sepulcris condita non ea fuisse quæ in domo viventis oculos recrearent; ea autem, quæ cognati et amici ad exsequias comparare et secum asportare curarent, et

(1) Rohden, *Terracotten von Pompeji*, p. 24, 25.

quibus, tanquam donis, mortuum colerent. Qua quidem in opinione hæsimus, postquam multa millia sepulcrorum ipsi effodimus atque inspeximus in Æolica regione (1). Primum enim animadvertimus plurima sigilla ipsa forma et specie ad res funebres proprie pertinere, Sirenas scilicet lugentes, Amores faci conversæ incumbentes aut quasi morte sopitos, convivas in cœna funebri assidentes (2), ita ut existimare non liceret, easdem figuras unquam in domo viventis fuisse. Præterea in ipsis sigillis, quæ ad res mythicas aut domesticas pertinent neque ullum funebrem sensum ipso habitu patefaciunt, plurima atque iterata apparent ejusdem imaginis exemplaria. Haud insolenter fiebat, ut eadem figura quinquies aut decies in eodem sepulcro reperiretur (3). Num verisimile est, viventem quemdam in domo tot figuras admodum similes habuisse? Facillime autem intelliges plurima et similia juxta defunctum jacere sigilla, si mos esset in sepulcro cumulatim deponere, quæcumque cognati et amici ad colendum mortuum asportabant. Inde nostram præsenties interpretandi rationem, qua sigilla viventibus quoque profuisse non negamus, sed pia quadam et propria religione defunctis data existimamus, ita ut non modo ornamenta essent, quibus sepulcrum quasi domus decoraretur, sed religiosa haberentur vota, quæ Manes viventibus propitios ac faustos redderent.

(1) *Bull. de corr. hellén.*, VI, p. 197, 388, 557 ; VII, p. 81.
(2) *Ibid.*, VI, p. 576, 580.
(3) *Ibid.*, VI, p. 408-411, 419-433, 577.

## CAPUT TERTIUM.

### AN FIGLINA SIGILLA DIVINARUM ET MYTHICARUM PERSONARUM SINT IMAGINES, JUXTA MORTUOS QUOS TUEANTUR DEPOSITÆ?

E duobus opinionibus supra expositis, hæc incertis de ignota et arcana religione conjecturis errare, illa autem sigillorum usum arctiore quodam limite circumscribere et in vitæ quotidianæ finibus, ut ita dicam, includere videbatur. Inter utramque medium quasi locum occupat tertia quædam sententia, quæ religionem in jus suum restituit neque illius auctoritatem nisi firmis et spectatis argumentis defendit (1). Plerique enim de sigillis domum aut sepulcrum ornantibus disserentes libentius neglexerunt memorare quam multæ imagines deorum dearumque figuras exprimant, cujus naturæ sint illæ figuræ, quam sæpe ad deos Inferos pertineant. Quomodo nobis credere

(1) Heuzey, *Nouvelles recherches sur les terres-cuites grecques* (*Monuments grecs publiés par l'Association pour l'encouragement des Etudes grecques*, 1876, p. 1, 2). Cf. *Append.* (14).

licet, tot fuisse in privatarum ædium larariis Cybeles aut Cereris et Proserpinæ simulacra, quot nunc in sepulcris reperta? Quid nos monent ejusmodi sigilla, nisi propriam esse mortuis religionem, a viventium religione paululum dissimilem? Quosdam esse deos, quibus ante omnes satisfacere et confidere defuncti solebant? Quod si viventes, in quocumque vitæ momento, in quacumque opera, deos habere propitios curarunt, quid mirum si defunctis quoque benignam deorum tutelam esse conciliandam putaverunt (1)? His enim ante alios operæ pretium erat divino quodam patrocinio uti, cum ad Orcum descendentibus ignotum pateret iter, horrenda nocte involutum, limosis fluminibus impeditum, monstris sævisque Numinibus refertum. Cum autem in rebus funebribus Numina quædam majore auctoritate uterentur, ad illorum religionem studia vulgi inclinabant. Ideo plurimæ sunt Magnarum Dearum imagines e Græcorum sepulcris effossæ, præcipue autem simulacra Cereris quæ usque ad recentiorem ætatem eadem specie fingitur, seu, mitra capiti imposita, in solio sedeat (2), seu, nullo corpore, formam capitis obvelati et severæ frontis præbeat (3). Alias autem reperitur

(1) *Id.*, *Recherches sur les figures de femmes voilées* (*Monuments grecs*, 1873, p. 22). Cf. *Append.* (15).

(2) Heuzey, *id.*, p. 17. Cf. *Append.* (16). Cf. Stackelberg, *Die Græber der Hellenen*, pl. 8; Panofka, *Terracotten des kœniglichen Museum zu Berlin*, pl. 1, 2, 3.

(3) Heuzey, *id.*, p. 17-20. Cf. *Append.* (17). Cf. Martha, *Catalogue des figurines*, n° 506, pl. 8, n° 2. Collignon, *Manuel d'archéologie grecque*, p. 242, fig. 77.

Proserpinæ imago (1) ; alias, Bacchi (2). Nec mirum, si quis funebribus illis Numinibus simulacra Veneris, Apollinis, Herculis anteposuerit (3). Quos vivus adorabat deos, eosdem in sepulcro socios habere voluit : sua cuique placuit religio.

Sana quidem interpretatio nec ullo modo ambigua, cum de imaginibus deorum dearumve agitur. Occurritur autem a doctis, sæpius reperta esse in sepulcris simulacra, quæ ad religionem minime pertinere viderentur (4). Plurimæ enim apparent hominum feminarumque effigies, quæ nihil nisi humanæ conditionis habitum exprimunt. Hinc incedit juvenis, pileatus, lorica et paludamento indutus : militem quemdam dicas, exercitio aut pugnæ paratum (5). Illinc in otium recedit et, intecto corpore, nudo capite, pila ludit aut pugnacem gallum cum cavea gestat (6). Huc festinat mulier, pellucido amictu adstricta et velut inclusa; digitis extremis flabellum ad imaginem folii confectum gestat et perambulat, capite sublato, vultu hilari, quasi ad jocosos sermones in-

(1) Heuzey, *id.*, p. 18. Collignon, *id.*, p. 243, fig. 78.

(2) Heuzey, *id.*, p. 18.

(3) Cf. *Bull. de corr. hellén.*, VI, p. 572.

(4) Cf. Lüders, *Bulletino dell' Inst.*, 1874, p. 123 ; Rayet, *Gaz. des B.-Arts*, 1875, p. 66 et seq. ; *id.*, p. 555, et seq. ; Henry Houssaye, *Gazette archéologique*, 1876, p. 74, 75 ; Collignon, *Manuel d'archéol.*, p. 244, 245.

(5) Cf. *Gazette archéologique*, 1878, pl. 21 ; Martha, *Catalogue des figurines*, nos 439-451.

(6) Martha, *Catalogue*, nos 484-498, pl. 1 et 7 ; Collignon, *Manuel*, p. 246, fig. 79.

tenta (1). Illuc domum se recipit et munditiis vacat; sedet in cathedra, et in speculo faciem inspicit aut columba delectatur (2). Quo nomine dicentur? Dii, an homines? Deæ, an mulieres? Scio equidem de hac re controversiam etiamnunc fieri; scio in promptu esse nomina quibus descripta signa appellentur. Quid miles? Martis est imago. Quid puer cum gallo? Ganymedem agnoscimus. Quid mulier munditiarum studiosa aut columbam permulcens? Omnia hæc sunt Veneris insignia.

Non mihi in animo est hanc litem componere quæ eruditis spectatisque viris disputandi atque disserendi materiam dedit. Mea quidem sententia, aliquid utrique dissentientium concedere licet; nam fieri potuit, ut recentioris ætatis artifices, quanquam ad vitæ quotidianæ imitationem versi, multa tamen in effingendo sumpserint e prioribus operibus : quod minime mirum in arte ad commercium nata (3). Si quis enim, matrem cum filia stantem informare meditatus, typum quemdam vetustiorem in promptu habebat, quo Ceres cum Proserpina fingebatur, nonne eodem uti potuit, modo ut adjungeret seu flabellum, seu capitis quoddam tegumentum, seu hilarem vultus

(1) *Griechische Terracotten aus Tanagra und Ephesos im Berliner Museum*, pl. 14, 16 ; Heuzey, *Figurines du Musée du Louvre*, pl. 23, 1 ; 25, 3 ; 29, 3 ; 30. *Collection Lécuyer*, 1er fascicule, pl. M, U; Kékulé, *Thonfiguren aus Tanagra*, pl. 1, 8.

(2) *Griechische Terracotten im Berl. Mus.*, pl. 5, 15. *Collection Lécuyer*, pl. N, V.

(3) De hac re omnino consentimus cum Kékulé, *Griechische Thonfiguren aus Tanagra, Einleitung*, S. 17, 18. Cf. *Append.* (18).

speciem, tanquam mortalis conditionis indicia (1)? Inde fit, ut quædam simulacra plurimam interpretantibus dubitationem afferant, cum, elegantia et festivitate humana insignia, habitu tamen et vestitu nescio quam vetustam atque religiosam majestatem redoleant (2). Ait enim, ut notum est, Flaccus :

> Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
> Testa diu.

Sed hæc hactenus. Quod si enim de nonnullis imaginibus disceptatio contentioque fieri potest, quid cogitandum, rogo, de ceteris quæ sine ullo dubio mortali conditione induuntur? Quot vultis, totidem sint simulacra Martis, Ganymedis, Cereris atque Veneris; non repugnabo. Cum autem mulierculas pistrinam exercentes et farinæ subactu panem conficientes (3), cum tonsorem in caput sedentis cujusdam inclinatum et forficibus capillos præcidentem vel rusticulum pulmentario coquendo intentum (4), cum circumforaneum mercatorem venalia clamitan-

(1) Quomodo diversissimas formas e perpaucis typis ducerent artifices Græci, qua solertia habitus, vestimenta, instrumenta mutarent, nuper descriptum habuimus, *Bull. de corr. hellén.*, VI, p. 563-565.

(2) Cf. Heuzey, *Monuments grecs*, 1876, pl. 1. Babelon, *Collection Lécuyer*, pl. A. De Cerere, filiam humeris gestantem, quæ Κατάγουσα dicitur, vide quam discrepantes proponantur interpretationes : Heuzey, *Gazette des B.-Arts*, septembre 1875, p. 209 et suiv. ; Rayet, *Monuments de l'art antique*, 1er fascicule, *Figur. de la coll. Lécuyer*, p. 4; Cartault, *Collection Lécuyer*, *Groupes reproduisant l'attitude de l'encotylé*, pl. D.

(3) Martha, *Catalogue des figurines*, p. XXVIII, nos 39, 40. Cf. no 38.

(4) Rayet, *Monuments de l'art antique*, 4e fasc., *Cuisinier et Coiffeur, Figurines de Tanagra* (Musée de Berlin), p. 1 et 2.

tem (1), cum puerulum, tabula genibus imposita, sedentem et, præsidente præceptore, labori indulgentem (2), cum puellulam avis obluctantis collo manus imponentem (3), cum villicum ad olitorium forum properantem et asello procumbenti auxiliantem (4), cum servum puero humeris assidente oneratum et itineris invia laterna collustrantem (5), hæc omnia et alia cum intueor, dubius sum quo modo referre liceat istius modi simulacra ad rerum sacrarum cultum et religionem? Nec quidem attigi has tragicas comicasque personas, quæ in fere omnibus locis reperiuntur, nec histriones et scurras vultu ac corpore deridiculos, qui frequentiores e Græcis Asiæ sepulcris effluxerunt, nec festivam puerorum catervam quam canibus, equis avibusque mixtam choreis et ludis indulgere juvat (6). Quibusdam, haud ignoro, placuit illas imagines artificio quodam solerti cum ceteris deorum simulacris jungere, seu ipsæ deæ deridiculis figuris exprimantur, seu Baccho comites habeantur histriones et scurræ, seu Veneris et Amoris

(1) Rayet, *Gazette des B.-Arts*, septembre 1878, p. 364; *Monuments de l'art ant.*, 2e fasc., *Figurines grotesques* (*Coll. Basilewski et Rayet*). Collignon, *Manuel d'archéol.*, p. 251, fig. 82.

(2) *Bull. de corr. hell.*, VI, p. 574.

(3) Rayet, *Gaz. des B.-Arts*, sept. 1878, p. 364.

(4) *Bull. de corr. hellén.*, VI, p. 576. Cf. *Griechische Terracotten aus Tanagra u. Ephesos im Berl. Mus.*, pl. 24.

(5) *Bull. de corr. hellén.*, VI, p. 576; VII, pl. 14.

(6) Martha, *Catalogue*, p. 216, 217 (*Table des matières*, au mot *Enfants*). *Bull. de corr. hellén.*, V, pl. 15, 16; VI, pl. 7; VII, pl. 11, 12, 13, 14. *Collection Lécuyer*, 2e fasc., pl. D2, E2, F2, G2, H2, I2, J2, K2, L2, M2, N2, O2, P2.

tutelæ committantur puerorum ludicra (1). Cuncta igitur deridicula atque lusoria simulacra prætermittere volo, quippe qui in hac ancipiti controversia quam plurima concedam atque remittam.

Quid enim refert? Est sane magni momenti et ponderis ut sciamus quid significet hoc signum et illud. Majoris tamen, opinor, pretii erit, ut primum rerum universitatem consideremus, ut dissimilia sigillorum genera secernamus, priusquam de singulis disputemus. Haud igitur rogito, sitne dea an matrona hæc velo accincta mulier, sitne Apollo an adolescentulus ille puer nudus, columnæ innixus? Forsan enim hæc simulacra ex illa nata sunt arte, quæ pristinas divinæ majestatis formas nescio qua corporis mollitia et vultus suavitate temperare atque emollire curavit (2). Rogito autem, si quis diversissimas figlinarum figurarum formas integro animo ac libero inspexerit, nonne multas animadverterit imagines, quæ sine ulla dubitatione ad res domesticas pertinere videantur? Quorum quidem exempla nuper protuli nonnulla.

De illis quo se vertat doctissimus interpres, non ignoro. Haud enim diffitetur artem figlinam paulatim in hanc viam inclinasse, qua ad rerum humanarum imitationem adducebatur; sed, formis sigillorum mutatis, religiosum et funebrem sensum evanuisse negat (3).

(1) Heuzey, *Monuments grecs*, 1874, p. 9. Cf. *Append.* (19). *Id.*, p. 10, note 1. Cf. Biardot, *Terres-cuites grecques funèbres*, p. 167.

(2) Heuzey, *Gaz. des B.-Arts*, sept. 1875, p. 209. Cf. *Append.* (20).

(3) Heuzey, *Monuments grecs*, 1874, p. 1. Cf. *Append.* (21).

Sunt quidem mulieres ambulatrices, pueri ludentes, adolescentes nudi aut tunicati. Sed nullo modo cum aliis funebribus figuris dissentiunt; specie quanquam humana indutæ, nihil viventium vitæ exprimunt, et, tanquam inferorum Genii, cum volitantium Manium choro consociantur, quorum naturam ab omni materia sejunctam et formam sine corpore humanam sibi vindicant (1). Haud insolenter fiebat, ut artifex a viventium laboribus et ludis suas mutuaretur imagines, non autem quæ viventium in terra, sed quæ mortuorum in Elysiis gesta exprimerent. Si quam effingebat virginem ossiculis aut pila ludentem, quid in mente habebat, nisi ut quietæ vitæ ludicra etiam in inferis usitata ostenderet (2)? Simili modo intepretari licebit, quodcumque ad res humanas pertinere videbitur.

Qua antiqua religione Græci crediderint defunctos humanam quamdam vitam vivere in inferis, non nos fugit atque ipsi nuper exposuimus (3). Haud igitur ægre accipiemus fictorem, etiam in componendis funebribus sigillis, ad rerum humanarum imitationem aliquando inclinasse. De hoc autem nonnulla superest dubitatio, num omnia ejusmodi simulacra ad res funebres et ad inferorum Numina proprie pertineant? Quod si opifex hanc certam et præfinitam in mente habuit opinionem, omnia ad exsequias ac-

(1) Heuzey, *Sur les origines de l'industrie des terres cuites* (*Acad. des inscriptions*, 17 nov. 1882), p. 23-24. Cf. *Append.* (22). Ravaisson, *Revue politique et littéraire*, 1880, p. 968. Cf. *Append.* (23).

(2) Heuzey, *Monuments grecs*, 1876, p. 19. Cf. *Append.* (24).

(3) Vid. sup., p. 13.

commodanda esse sigilla, nihil impedit quin sensum funebrem, vel secretum et abditum, omni modo in illis deprehendere conemur. Si autem vera dicere licet, quid incertius? Nonne recens nos monuit de Pompeianis sigillis disputatio, quot fuerint sigilla in ædibus privatis et in larariis collocata? Nonne testantur indagationes in locis antiquis confectæ, quam multa in deorum templis et sacrariis consecrata (1)? Quæ quidem ab imaginibus juxta mortuos depositis dissimilia non videntur. Quomodo igitur affirmemus cuncta in sepulcris reperta sigilla sine ullo dubio ad exsequias fuisse composita? Æquo jure funebria dices omnia quæ in sepulcro deposita fuerunt; funebria autem sunt usu, non origine et sensu. Nemini placuit, vasa, specula, strigiles ad defunctorum necessitudines confecta fuisse, quanquam in sepulcris reperiuntur. Cur de sigillis figlinis non item (2)? Hoc igitur, quod propositæ interpretationis quasi principium et fons videtur, firmis et certis argumentis probatum atque exploratum non habemus. Fieri enim potuit ut artifices in eadem officina sine ullo discrimine imagunculas finxerint, ad decoranda privatorum tecta, deorum delubra, defunctorum sepulcra.

Quid postea? Num inde existimamus, omnino absentem esse a funebribus sigillis religionem? Minime quidem. Sed de hac religione, quid sentiamus, facillime intelliges. Hæc fuit apud Græcos perantiqua re-

(1) Vid. sup., p. 15.

(2) Cf. Martha, *Append.* (10).

ligio, Manes esse deos, ita ut sigilla in exsequiis usurparentur, non solum quæ defunctos tuerentur, sed quæ eosdem viventibus faustos et propitios redderent. Constat autem vota diis consecrata non ea esse, quæ per se religiosum et præfinitum habuerint sensum; simulacra cujusque generis, diversissima ornamenta, vilissima etiam reperire est instrumenta in deorum templis. Haud aliter se res habet in defunctorum cultu. In sepulcro deponuntur omnia vitæ instrumenta; deponuntur quoque sigilla : hæc omnia Manibus vota. Nihil impedit quin sint habitu et aspectu diversissima, quin res humanas, res mythicas divinasque exprimant. Pleraque enim funebrem sensum, non a fictoris voluntate, sed a dicantis religione accipiebant (1). Quod quidem in posteriore opusculi parte plurimis et accuratis argumentis exponendum erit.

(1) In hanc quoque sententiam Heuzey videtur inclinasse, de Phœniciis sigillis disserens in sacrario quocumque deponendis (*Catalogue des figurines antiques du Musée du Louvre*, p. 73) : « L'attribution définitive pouvait être faite moins par la main de l'ouvrier ou par la désignation du marchand, que par la volonté du dévot, qui consacrait l'image à une déesse particulière. » Nos quidem rem paulo longius proferre volumus, ita ut apud antiquos non solum in quocumque sacrario, sed in quocumque loco, in templis, in ædibus, in sepulcris eadem sine discrimine sigilla deponere licuerit.

## CAPUT QUARTUM.

### AN FIGLINA SIGILLA DIIS MANIBUS TANQUAM VOTA SUPPEDITENTUR, PRO HUMANIS HOSTIIS SUPPOSITA?

Quarta, cujus mentionem inchoamus, opinio hanc commendationem præ se fert, quod in ancipiti disputatione vidit quid esset quod ambigeretur, quæ certa essent ab incertis disjungenda, qua rerum vicissitudine formam mutaverint figlina signa, quo tempore imagines vultu et aspectu humanæ increbuerint. Haud enim diffitetur omnia simulacra in antiquissimis Græcorum sepulcris reperta sacro quodam et divino habitu inter se convenire. Quod verum senseris, si libros pervolveris quibus describuntur nunc congregata in ædibus publicis privatisque sigilla. Quæ sunt artis vetustissimæ, nihil nisi deorum dearumque imagines referunt. Non est quod inquiras mulieres ambulantes aut otiantes, milites armis instructos, pueros ludentes, plebeculam negotiantem; at fere innumera conspicies Cybeles aut Cereris et Proserpinæ simulacra. Haud igitur dubium, quin mos ab origine valuerit apud Græcos, sacras imagines cum

defunctis sepelire, quasi religionis testimonia et grata Numinibus inferorum vota (1). Hæc viguit consuetudo usque ad sæculum quintum ante Chr. natum; quo tempore, quasi repentina mutatione orta, nonnulla fit figlinorum sigillorum penuria; quarto autem ineunte, rursus exoritur et mirabiliter increscit nova soboles sigillorum, quæ varios humanæ conditionis habitus ad vivum exprimit, quotidianos usus et labores effingit, deridiculos etiam hominum vultus perfacete pingit (2).

Quæ fuit mutandi ratio? Cur novandum aliquid de prioribus institutis? Si rem attente pernoscere curabis, nihil quidem mutatum dices : imo pristinum morem intelliges esse servatum. Quo modo enim veteres Græci solebant exsequias hominum genere aut virtute illustrium ornare? Nonne funebris pompæ magnificentia augebatur, vivis hostiis ante rogum mactatis? Quod sacrificium dicebantur prælibare defunctorum Manes, sanguinem effusum sitientes, ad cruenta libamina ruentes, si quidem poetis credimus (3). Nec satis, sitim explere : eædem sunt Manibus necessitates, eadem studia, eadem voluptatum aut exercitationum cupido, quæ viventibus. Apud inferos miles armorum tractationi indulget, luctatur, equitat; puer cane aut avi delectatur, mulier munditiis

(1) Rayet, *Gaz. des B.-Arts*, juillet 1875, p. 555. Cf. *Append.* (25).

(2) *Id.*, p. 555. Cf. *Append.* (26).

(3) Homer., *Odyss.*, XI, 34-50; Euripid., *Héc.*, 536; *Elect.*, 514. Cf. Fustel de Coulanges, *La cité antique*, p. 7-20.

vacat (1). Si quis divitiis abundaret, si splendida supellectile, multis servis uteretur, idem curabat ne quid e commodis istis sibi defuncto deficeret : inde lautissima funera, ubi tot vestes, tot instrumenta, tot ornamenta auro aut ebore insignia incendio rogi absumebantur ; inde etiam humanæ victimæ pro hostiis trucidatæ, seu defunctus ab hostibus mortis ultionem repeteret, seu servos expostularet qui vel in inferis solito ministerio fungerentur (2). Idcirco accepimus non solum boves atque oves in honorem Patroclis cæsos fuisse, sed etiam equos atque canes, heri familiaritate usos, et captivos Trojanos duodecim crudeli modo necatos (3) ; Polyxenam quoque ad tumulum Achillis ante oculos Græcorum trucidatam (4). Quæ quidem immania sacrificia nobis demonstrant, qua verenda auctoritate uterentur defunctorum Manes, adeo ut superstites omni arte eos propitios et faustos habere conarentur.

Cum autem homines sensim a fera agrestique vita ad cultum mitiorem deducerentur, mox illis displicuit illa morum feritas, quæ exsequias cruentabat. Eadem tamen erat erga Manes reverentia, nec quisquam libens eos solitis fraudavisset honoribus. Ideo ad deverticula quædam confugitur, quorum exempla

(1) Cf. Homer., *Odyss.*, XI, 572-575 et *Schol.* : « ὑποτίθεται τοὺς ἐν Ἅδῃ τοιαῦτα πράττειν οἷα καὶ ἐν ζῶσιν ἐποίουν. »

(2) Homer., *Ilias*, XXIII, 175. Plutarch., *Philopœmen*, 21. Lucian., *De luctu*, cap. 14.

(3) Homer., *id.*, v. 171-176.

(4) Euripid., *Héc.*, v. 40-41, 107-113, 521-582.

etiam in cultu deorum habemus. Nonne dicitur Minerva, pro Pausania ante aras mortuo, duo corpora repetiisse a Lacedæmoniis, qui se intellexisse dissimularunt, vivane an muta corpora poscerentur, et duo simulacra ex ære in templo posuerunt (1)? Apud Romanos quoque fama est Jovem iratum, quod a cœlo in terram quibusdam incantamentis arcesseretur, jussisse ut piaculum sibi fieret oblatis capitibus; quæ Numa, cruentum sacrificium aversatus, non « capita » esse, sed « cæpitia, » interpretatus est (2). Quid igitur Manes minus placabiles fuisse quam deos arbitremur? Quod si Superi fraudem quamdam in hac re pati non recusabant, non causa est cur Inferi duriorem posuerint legem (3).

Hoc igitur verisimile opinemur, figlina sigilla pro humanis hostiis usurpata fuisse in exsequiarum ritu. Feræ et barbaræ consuetudini non jam indulgere placebat, nec tamen fas aliquid e Manium religione detrahere. Eo modo res opportunissima evasit, ut, servata morum humanitate, suos secum haberet in sepulcro defunctus, quorum commercio aut ministeric egebat, sed forma nova et, ut ita dicam, adulterata indutos. Nec jam mirabimur, more mutato, incre-

(1) Thucyd., I, 134.

(2) Plutarch., *Numa*, 15, 5.

(3) Rayet, *Gaz. des B.-Arts*, juillet 1875, p. 66-68. Cf. *Append.* (27). *Monuments de l'art antique*, 3e fascicule, *Joueuse d'osselets* (Collection de Clercq). H. Houssaye, *Gazette archéologique*, 1876, p. 74, 75. Cf. *Append.* (28). Collignon, *Manuel d'arch.*, p. 248-249. Cf. *Append.* (29). Cartault, *Collect. Lécuyer*, 2e fasc. *Grand masque satyrique*, pl. D². Cf. *Append.* (30).

brescere simulacra quorum habitus ad quotidianos usus pertinent, servos scilicet, mercatores, histriones, pueros, mulieres; quæ quidem assimulata specie gratissimas vitæ delicias, risus, voluptates, ludos defuncto reddunt, ita ut in sepulcro se non mortuum, sed quasi redivivum existimet.

Cognita nunc opinione, quid sentiamus, tractandum est. De pluribus cum auctore omnino consentire non diffitemur. Sigillorum scilicet formam et habitum mutasse, in prioribus temporibus deorum imagines, in posterioribus humanas figuras prævaluisse, nos quoque censemus. Nec non nobis placuit quod attinet ad funebrem usum, scilicet plurima sigilla, ut defunctum a tristitia deterrerent, ut pro societate lateri adhærerent, ut læto et festivo aspectu solitudinem mulcerent, una cum cadaveribus sepulta fuisse. Hoc tantum ægre accipimus, ut figlina simulacra, tanquam fraude subdita, in humanarum hostiarum vicem successerint. Cui sententiæ quid repugnet, quantum in nobis est, exponemus.

Hoc primum animadvertes, vel in antiquo tempore nunquam pervulgatum fuisse morem, qui humanas victimas Manium religioni devoveret. Etiam apud Homerum constat plerisque displicere istius modi sacrificia, et fit apertissimum quantum poeta cruentas Patroclis exsequias aversetur (1). Si quidem apud Virgilium rursus exoritur miserrima captivorum cæ-

(1) *Ilias*, XXIII, 176 : « κακὰ δὲ φρεσὶ μήδετο ἔργα. » Cf. *id.*, XXI, 27-32.

des in honorem defuncti Pallantis (1), reputandum est omnes fere versus de Homerico carmine conversos fuisse et ad verbum expressos. Haud equidem sum ignarus perantiquam Deorum religionem humanis sacrificiis usam esse. Ne plura commemorem, fama inclitum est apud Tauros templum, in quo advena quisque ante aras Dianæ mactabatur (2). Græcis etiam placuit fera quædam Bacchi religio, nomine ἀγριώνια (3). Dicuntur quoque Pelasgi hos habuisse ritus, quibus hominum capita Saturno dabantur; sed, ut ait Macrobius, « postquam felicior interpretatio capita non viventium, sed fictilia, et φωτός æstimationem non solum hominem, sed etiam lumen significare docuisset, cœpisse Saturno cereos potius accendere et in sacellum Ditis, aræ Saturni cohærens, oscilla quædam pro suis capitibus ferre (4). » Quantum autem ab antiquis scriptoribus nosci potest, id insolenter evenisse in antiqua religione arbitramur et barbaris præsertim gentibus placuisse. Quodcumque de hac re judicaris, nullo modo constat unquam fuisse Manium religionem, quæ lege vel etiam consuetudine humana sacrificia sanciret. Quæque enim, cujus mentionem habemus, captivorum cædes potius ultionis quam utilitatis gratia in honorem defuncti videtur perpetrata (5).

(1) Virgil., *Æneis*, x, 519, 520; xi, 81.

(2) Euripid., *Iphig. Taur.*, 38-41, 380-391.

(3) Plutarch., *Themist.*, 13; *Pelopid.*, 22. Cf. Daremberg et Saglio, *Dict. des antiquités, Agrionia*, p. 167.

(4) Macrob., *Saturn.*, I, 11, 18.

(5) Cf. Hermann-Blümner, *Lehrbuch der griech. Antiquitäten, Griech.*

Fac tamen heroicis temporibus hunc morem placuisse et sensim, pristina feritate mollita, evanuisse. Quo modo non mirabimur tam sera increbuisse figlina sigilla, quæ in viventium vicem mortuis traderentur? Haud enim credibile est usque ad sæculum quintum ante Chr. natum cruentissimos illos valuisse ritus. Quos si exstinctos existimabis non multo post Homeri ætatem, haud procul a veritate, ut videtur, discedes. Athenis, Solone jubente, ne bovem quidem necare in exsequiis fas erat (1). Cum Plato de moribus civitatum continuo mutatis verba facit, hostiarum cædem in pompa funebri omnino obsoletam memorat (2). Quo modo igitur nobis placeat Platonis æqualibus hanc sententiam tribuere, qua mos perantiquus et jamdiu neglectus revocatus sit? Si quando tenuit consuetudo figlina sigilla in locum viventium supponendi, hoc sane artificio usi sunt Græci quos pudebat verendis pristinæ religionis legibus obsistere, et qui solerti ingenio indulserunt ut pariter diis Manibus atque humanitati satisfacerent. Nonne inde sequitur ut præsertim in sepulcris, quorum ætas homericis temporibus propior videtur, re-

*Privatalterth.*, p. 381 : « ja auch Geliebte und Gefangene getödtet, was freilich in historischer Zeit etwas durchaus seltenes war. »

(1) Plutarch., *Solon.*, 21 : « Ἐναγίζειν δὲ βοῦν οὐκ εἴασεν. »

(2) Platon, *Minos*, p. 315 : « ἐπεὶ αὐτίχ' ἡμῖν μὲν οὐ νόμος ἐστὶν ἀνθρώπους θύειν, ἀλλ'ἀνόσιον, Καρχηδόνιοι δὲ θύουσιν, ὡς ὅσιον ὂν καὶ νόμιμον αὐτοῖς... Ὥσπερ καὶ ἡμᾶς αὐτοὺς οἶσθά που καὶ αὐτὸς ἀκούων, οἵοις νόμοις ἐχρώμεθα πρὸ τοῦ περὶ τοὺς ἀποθανόντας, ἱερεῖά τε προσφάττοντες πρὸ τῆς ἐκφορᾶς τοῦ νεκροῦ καὶ ἐγχυτριστρίας μεταπεμπόμενοι · οἱ δ'αὖ ἐκείνων ἔτι πρότεροι αὐτοῦ καὶ ἔθαπτον ἐν τῇ οἰκίᾳ τοὺς ἀποθανόντας · ἡμεῖς δὲ τούτων οὐδὲν ποιοῦμεν. »

perienda sint figlina sigilla, quæ servos, milites, pueros, canes et equos specie referunt? Num vero ita se res habet? Minime quidem. Nec ullam, ut supra diximus, ejusmodi imaginem reperias, nisi in recentioris ætatis sepulcris depositam (1).

Nobis igitur liceat opinionem nuper expositam bipartito dividere. Quod attinet ad sigillorum naturam, cum auctore consentimus. Quo modo vera et ad vivum expressa specie omnia vitæ humanæ opera et delectamenta effingant, nobis quoque locus erit ad explicandum. Quod autem ad originem, dissentimus et alteram nobis in animo est proponere sententiam.

(1) De hoc quoque haud dissimiliter disputavit Heuzey (*Monuments grecs*, 1874, p. 3, 4). Cf. *Append.* (31).

# CAPUT QUINTUM.

## DE QUIBUSDAM ALIIS OPINIONIBUS QUÆ FUERUNT AD INTERPRETANDA FIGLINA SIGILLA PROPOSITÆ.

Quidquid de figlinis simulacris ordinata et fusa quadam disserendi ratione expositum fuit, inspeximus (1). Nondum tamen quidquid de hac re propositum fuit, enumeravimus. Sæpe enim factum est ut docti viri, de quodam sigillo disserentes, sententiam suam de origine et usu harum imaginum dixerint, perpaucis quidem verbis, sine accurata disquisitione, ita ut res potius inchoata et quasi degustata quam consummata videretur. Quorum tamen auctoritati id

(1) Ne memoranda prætermittere videamur, mentionem faciemus de disputatione quadam quam nobis invitis, linguæ haud expertibus, perlegere non licuit. Quantum cognoscere potuimus ex annotatione in gallica ephemeride scripta, singularis quædam vis figlinis sigillis ab auctore tribuitur, ita ut ea religioni, arti et reipublicæ apud Græcos maxime conduxisse opinetur. Cf. Kondakov, *Zapiski imperatorskago odesskago obstchestva istorii i drevnostei*, t. 11, Odessa, 1879. *Revue de philologie*, 1880, *Revue des revues*, p. 319. *Bibliotheca philologica*, Göttingen, 1880, p. 224 (Kondakov, *Griechische Statuetten aus Terracotta*, Odessa, 1879, 110 p. mit 6 Taf., Abbildgn. 4 (russisch).

debere nos putamus, ut, quid senserint, breviter attingamus.

Unus ex his, mira scriptorum et monumentorum cognitione præter ceteros spectatus, quandoque disseruit de sigillis in Taurica Chersoneso repertis et sæpissime hanc prætulit sententiam, figlina simulacra ad hunc usum pertinere ut defunctos ab adversæ sortis malignitate defenderent : quam ob rem φυλακτήρια a Græcis dicebantur (1). Quæ quidem interpretatio cum quibusdam figuris congruit, sed ad omnes sese accommodare non videtur. Cum enim de oscillis, de satyricis et comicis personis, de horrendo Gorgonis capite talia verba facit, non dissentimus et copiam laudamus exemplorum quibus res firmata comprobatur (2). Cum autem de histrionibus et deridiculis figuris, paulo cautiores in assentiendo, tanquam in re dubia, hæremus (3), eo magis quod secum nonnihil pugnantem deprehendimus auctorem, quippe qui alias eadem simulacra ad defuncti oblectamentum et solatium inventa interpretetur (4). Præterea, quodcumque de hoc re judicium facies, plurima tibi supererunt simulacra, quibus vim sacram haud facile

(1) Stephani, *Compte rendu de la Commission impériale de Saint-Pétersbourg*, 1866, p. 71, 73, 74, note 4. Cf. Clarac, *Musée de sculpture*, II, 1re partie, p. 422. Heuzey, *Monuments grecs*, 1874, p. 9, note 2. Rayet, *Monuments de l'art antique*, 3e fasc. (*Figurines comiques*. Musée de Berlin). Frœhner, *Terres-cuites d'Asie Mineure*, 1879, p. 40 et note 3. Cartault, *Collection Lécuyer*, pl. D².

(2) *Compte rendu Saint-Pétersbourg*, 1866, p. 71.

(3) *Ibid.*, p. 74.

(4) *Ibid.*, 1865, p. 193 ; 1869, p. 9-10, 148-149.

tribuas : sigilla dico quæ ad domesticæ vitæ usus pertinent. Non igitur nobis ea videtur opinio, quæ ad explicandam sigillorum varietatem prosit.

Alius quidem majora aggressus est et explanatione utitur, quæ ad plura simulacra pertinet. Hoc præcipue habuit in animo, frequentes esse deorum dearumve imagines, quibus adjungitur Amorum, Satyrorum, Baccharum agmen. Non tamen illis eam vim confert, ut defunctos tueantur; sed, nova moliens, ipsos esse defunctos declarat, qui divina specie effinguntur, tanquam post mortem dii consecrati. Ita homines Apollinis, Herculis, Bacchi vices tenent; mulieres pro Venere, Diana, Fortuna habentur; pueri ipsi in festivum Amorum gregem evadunt (1).

Scio equidem hanc sententiam apud Græcos fuisse perantiquam, ut Manes dii haberentur, neque diffiteor : hoc tantum dubito, an licuerit ab origine illos esse indutos forma et nomine deorum qui dicebantur Superi? Quod quidem postea, cum apud Græcos tum apud Romanos, in usum transiisse constat, neque operæ pretium est commemorare quam multi imperatores atque imperatorum cognati solita consecratione in deos repositi fuerint (2). Proferuntur etiam tituli lapidibus inscripti, qui defunctos valde ignobiles divino quodam nomine illustrent (3). Quid

(1) Frœhner, *Terres-cuites d'Asie Mineure*, p. 21, 41, 55.

(2) Cf. Daremberg et Saglio, *Dictionnaire des antiq. gr. et romaines*, article *Apotheosis*, p. 323.

(3) Frœhner, p. 41. Cf. Orelli, *Inscript. latin.*, n° 4585. Wilmanns, *Exempla inscript. latin.*, n° 240. *Corp. inscr. latin.*, III, n° 686.

mirum? Romanæ quidem sunt ætatis; haud ægre intelligitur, quomodo a principibus supremus ille honos usque ad infimos cives paulatim defluxerit. Nos autem Romanas res non curamus. Verum, quarto sæculo ante Chr. n., cum magna figlinorum sigillorum copia sepulcra Græca florere cœperunt, hunc valuisse morem in Græcorum religione negamus. Errorem, ut opinor, attulit sigillorum species in Asiæ sepulcris repertorum : quorum in numero plurimas deorum figuras animadvertes (1). Cum autem pleraque nescio quid Romanæ artis redolere videantur (2), eo perduceris ut eadem cum Romanorum religione conferas. Nonne autem, si vera cogitare volumus, primum sigillorum ortum perquirere atque rem ab origine repetere decet? Apud Græcos increbuisse accipimus hæc simulacra quæ ad magnas Deas, ad Inferorum Numina pertinent aut quæ referunt humanam gentem in variis vitæ artibus versantem. In Tanagræis sigillis fere nulla apparet Herculis aut Apollinis aut Bacchi imago. Ubi igitur illa consecratio, quæ religionis quasi fundamentum habetur? Ne sincerum quidem invenies argumentum in Græcis Asiæ sepulcris quod istius consecrationis usum confirmet; nam ipsi nonnulla inspeximus sepulcra in quibus diversæ deorum imagines, scilicet Herculis, Apollinis, Bacchi, sepultis unius defuncti ossibus miscebantur. Nec sane pu-

(1) Frœhner, *Préface*, p. 3.
(2) *Id.*, p. 3, 5.

tandum est eumdem post mortem pluribus deorum nominibus fuisse consecratum.

Hoc denique quibusdam placuit, ea esse figlina sigilla quæ defuncti conditionem significarent, ita ut cum pueris puerilia simulacra, cum viris hominum et deorum imagines, cum feminis dearum et mulierum figuræ sepelirentur (1). Jam antea exposuimus eum facillime errare, si quis res funebres in arctissimam contrahere legem et certis finibus terminare nititur. Quam ob causam huic opinioni non libenter assentiemur : quæ tamen ex inani quadam conjectura non pendet. Si quis enim accurata indagatione sepulcra sigillis referta scrutabitur, haud semel animadvertet puerilia præsertim juxta pueros, muliebria juxta mulieres jacere simulacra (2). Quod quidem nonnullam Græcorum voluntatem ostendere videtur, qua imagunculas ad ipsam conditionem atque ætatem defuncti accommodare solebant. Noli autem credere hoc nescio quo jure sacro ratum atque institutum fuisse : sunt enim sepulcra quæ puerilia, muliebria, virilia simul commixta præbeant simulacra. Præterea, si ex illo documento aliquid affertur de usu sigillorum apud Græcos, quid novi accipimus de eorum origine et de sensu funebri? Quæ res Græcis placuerit, video; quam ob causam placuerit, non intelligo. Nihil igitur auxilii ad nodum expediendum ex illo testi-

(1) Cesnola, *Cyprus*, Londres, 1877, p. 93. Cf. Heuzey, *Catalogue des figurines antiques de terre-cuite du Musée du Louvre*, I, p. 42-43, 142-143.

(2) Cf. *Bull. de corr. hellén.*, VI, p. 408-411.

monio percipimus (1). Fac ut existimem sigilla ad Bacchi mysteria pertinere, vel ad Inferorum Numina, vel ad Manes hostiis suppositis colendos, nulla causa est cur, re cognita, aliquid de opinione mea concedam. Imo, cuique opinioni res consonare videbitur. Manet igitur nobis integra quæstio, quæ in controversiam adducebatur, scilicet quam ob causam Græci juxta defunctos figlina sigilla deposuerint?

(1) Cf. Heuzey, *loc. cit.*, p. 143 : « Il est assez naturel de trouver quelque relation entre les figurines et la condition de celui auprès duquel elles étaient déposées ; mais cela ne veut pas dire que le principe et la raison première de cet usage fût l'intention formelle de désigner la condition des morts. »

## CAPUT SEXTUM.

### CONCLUSIO.

Quæ de figlinis sigillis ortæ sunt opiniones, qualescumque sunt, recensuimus. Aliæ aliis placuerunt sententiæ. Nos quid esset accipiendum, quid abjiciendum, ut vires nostræ tulerunt, exposuimus. Nunc quidem a rejectis probata sejungere oportet, priusquam, ut aiunt, Marte nostro pugnemus. Quid enim ab alienis documentis acceperimus, quid ipsi novum contulerimus, facillime perspicietur.

Omni modo respuimus investigandi rationem, quæ ducitur ex arcana quadam Græcorum religione et figlina sigilla cum mystarum doctrina omnino congruentia ostendere conatur. Si enim, in ambigua disputatione, primum e rebus notis argumenta colligere decet, ut incertas explanemus, valde ineptum videtur totius disquisitionis quasi originem et stirpem ponere in illa religione, de qua ignorare inter se consentiunt fere omnes doctissimi viri.

Ex aliis autem opinionibus, quanquam diversissimæ fuerunt, nonnulla retulimus. Quod ad formam

et habitum sigillorum pertinet, duo esse simulacrorum genera agnovimus. Quorum quidem vetustiora fere nihil aliud quam deorum dearumque imagines referunt. Quarto autem ante Chr. n. ineunte sæculo, quædam fit in sigillis mutatio et, deficientibus plerumque Numinum simulacris, usque ad ætatem Romanam increscit magna multitudo hominum, mulierum, puerorum, qui, habitu et aspectu diversissimi, omnia vitæ humanæ opera, otia, delectamenta vera et quasi viva specie exprimere videntur.

De vetustioribus sigillis fere nulla fit disceptatio. Inter plerosque constat ea fuisse quæ, in sepulcris deposita, defunctis tuendis et protegendis consulerent. De recentioribus autem magna exorta est controversia. Quibusdam placuit illa simulacra in privatis ædibus locum habuisse : cui quidem opinioni non repugnamus, modo ut existimes eadem non esse omnino a religione abalienata, nec solum ad decorandos parietes accommodata, sed præcipue in larariis sub Penatium tutela collocata. Qui fit autem ut in sepulcris juxta defunctos deposita reperiantur? Haud libenter accepimus ea fuisse quæ, arte libera et elegantiore confecta, sensum funebrem a vetustioribus traditum servarent et nova festivaque specie Inferorum Numina vel defunctos in Orco habitantes et variis vitæ artibus indulgentes exprimerent; nec libentius, ea quæ in vicem humanarum hostiarum successerint, neglectis ob morum lenitatem captivorum cædibus. Hinc enim nobis in mentem occurrit quam incertum sit, funebrem quemdam et ab origine

præfinitum inesse sensum in omnibus rebus, instrumentis, ornamentis, sigillis quæ in sepulcris reperiuntur; illinc, quam longo temporis intervallo funebris ille sigillorum usus ab antiquissimis et insolitis sacrificiis distet.

Ceteræ autem opiniones quo modo in aliqua parte claudicarent vel rem minime expeditam relinquerent, ostendimus. Quid postea? Nonne fere integra nobis manet de pluribus rebus disputandi facultas? Materia quidem, in qua versemur, non deest. Rem a multis undique versatam, sed etiamnunc implicatam et obscuram, clara explanatione illustrare liceret, si, ut Flaccus ait,

Si quantum cuperem, possem quoque.

# PARS POSTERIOR

Quæ investigandi ratio nobis conveniret in interpretandis figlinis sigillis, jam exposuimus. Priusquam aliquam rei æstimationem proponamus, necesse est, nostra sententia, ut ordinatim colligamus e scriptoribus, e monumentis, ex ipsa sepulcrorum indagatione quidquid ad figlina sigilla pertineat. Si enim nihil admodum audiimus de figlinis imaginibus ad exsequias mortuorum comparatis, nonnulla accepimus de communi sigillorum apud Græcos Romanosque usu. Quæ si recensuerimus ab antiquis tradita, fieri poterit ut obvia nobis occurrat ad reliqua enucleanda facultas. Inde sequitur ut singula, quantum res patitur, conservatis notatisque temporibus, perlustremus.

## CAPUT PRIMUM.

### QUID SENSERINT ANTIQUI SCRIPTORES DE FIGLINIS SIGILLIS?

Si fabulæ quidem creditur, nihil vetustius quam ars figlina, utpote quæ gentis humanæ origini præfuerit. Ut fama est, hominis effigiem Prometheus ex ar-

gilla duxit (1); cui artifici ne impares viderentur, Dii informaverunt e luto Pandoram, exitiale hominibus donum (2)? Jam ætate homerica, nonnihil accipimus de fictis ex argilla imaginibus, cum dicatur Cyprius rex Cinyras misisse Trojam, pro debitis auxiliis, classem quamdam testaceam et luteos milites (ὀστράκινον στόλον, γηΐνους ἄνδρας) (3). Quod si de rebus certis, nec jam de fabulis quæritur, figlinæ artis initium in obscuro latet. Nunc dicitur Corœbus Atheniensis figlinam invenisse (4); nunc Butades Sicyonius, qui Corinthi primus typum expressit e juvenis effigie in pariete circumscripta (5). Sunt alii qui Samios plasticen invenisse Rhœcum et Theodorum tradant (6). Quod si ambigitur de artificis nomine, haud dubium est perantiquam esse figlinam artem, adeo ut Varro Pasitelem laudet quod plasticen matrem statuariæ sculpturæque et cælaturæ esse dixerit (7). Quod autem ad

(1) Lucian., *Prometh. seu Caucas.*, 13. Phædr., *Fab.*, IV, 16.

(2) Hesiod., *Oper. et dies*, 70. *Theog.*, 570.

(3) Eustath , *Comment. ad Homer.*, *Il.*, XI, 20. Plinius, *Nat. hist.*, VII, 57, 4. Cf. Heuzey, *Catalogue des fig. du Louvre*, I, p. 116.

(4) Plinius, *Nat. hist.*, VII, 198 : Figlinas (invenit) Corœbus Atheniensis ; in iis orbem Anacharsis Scythes ; ut alii, Hyperbius Corinthius.

(5) Plinius, *Nat. hist.*, XXXV, 151 : ... Fingere ex argilla similitudines Butades Sicyonius figulus primus invenit Corinthi filiæ opera, quæ capta amore juvenis, abeunte illo peregre, umbram ex facie ejus ad lucernam in pariete lineis circumscripsit, quibus pater ejus impressa argilla typum fecit et cum ceteris fictilibus induratum igni proposuit.

(6) *Id.*, 152 : Sunt qui in Samo primos omnium plasticen invenisse Rhœcum et Theodorum tradant.

(7) *Id.*, 156 : Laudat (Varro) et Pasitelem, qui plasticen matrem cælaturæ et statuariæ sculpturæque dixit.

verbum Κοροπλαστικήν attinet, non est quod ullam tribuamus fidem ei qui nomen ex ipsa Butadis filia, quæ Κόρη appellabatur, ductum esse censet (1). Non prius enim valet hoc verbum in Græco sermone quam oriatur sæculum ante Chr. quartum : quo tempore, ut antea diximus, imprimis abundabant sigilla ad vitam domesticam pertinentia. Cum igitur plurimæ adolescentulorum et virginum imagines effingerentur, eodem nomine (κόροι, κόραι) sigilla dicebantur : quod quidem ex antiquis glossariis constat (2).

Qui primus de figlino quodam simulacro verba facit, Hippocrates, de fingendi ratione plura exponit, sed de fictæ imaginis specie tacet (3). Nonnihil apud Aristophanem invenimus, quod ad sigillorum usum pertinere videtur : magna autem fit discessio inter veteres, sitne Vulcani figlina effigies, quæ dicitur in camino posita tanquam ἐπιστάτης, an aliud quoddam coquinarium instrumentum (4). Apud eumdem poetam verbum ἀποκιννάϐευμα deprehenditur, quo significantur, testante Græco interprete, figlina quædam simulacra sculptoribus et pictoribus ad imitationem proposita (5).

(1) Athenagor., *Leg. pr. Christ.*, 14, p. 59. Cf. Blümner, *Technologie u. Terminologie der Gewerbe u. Künste*, II, p. 129, Anm. 2.

(2) Cf. Harpocrat. et *Etymolog. Mag.*, s. v. κοροπλάθος, κοροπλάστης.

(3) Hippocrat., I, p. 645 K. Cf. Blümner, *loc. cit.*, p. 116, Anm. 5.

(4) Aristoph., *Aves*, v. 436. Schol. : Ἐπιστάτης δὲ χαλκοῦς τρίπους χυτρόποδος ἐκτελῶν χρείαν · οἱ δὲ πήλινον Ἥφαιστον πρὸς ταῖς ἑστίαις ἱδρυμένον ὡς ἔφορον τοῦ πυρός · ἔνιοι δὲ καὶ ξύλον ἐπίμηκες πεπασσαλωμένον, ὅθεν ἐξαρτῶσι τὰ μαγειρικὰ σκεύη.

(5) Bekker, *Anecdota*, p. 415, 32 : Ἀριστοφάνης · « ... πάντ' ἀπ' ἀκροφυσίων καὶ τῶν ἀποκινναϐευμάτων. » Λέγει γὰρ διὰ μὲν τοῦ ἀπ' ἀκροφυσίων

Eadem fere ætate, Zeuxis pictor dicitur statuariæ quoque indulsisse et figlina quædam opera finxisse (1). A Platone tandem accipimus magni momenti documentum, quod nobis demonstrat ubinam collocarentur illæ κόραι, ab artificibus Græcis confectæ. Quis nescit quomodo Socratem introducat cum Phædro colloquentem in agro urbi vicino, secundum defluentem Ilissum, cujus aqua pedes nudos reficiunt philosophi æstu et itinere defatigati? Mox ad platanum et ad fontem quemdam accedentium oculis incurrunt nonnulla simulacra atque sigilla, propter quæ Socrates locum Nymphis et flumini Acheloo esse consecratum opinatur (2). Hæc autem sigilla dicuntur κόραι, atque ab eodem Platone κοροπλάθος, qui talia simulacra fingit (3). Quæ quidem verba (κόραι, κοροπλάθοι, κοροπλάσται) ab aliis scriptoribus Græcis vulgo usurpantur. Rogat enim Isocrates, num quis Phidian, inclitum eburneæ Minervæ auctorem, cum sigillorum fictore conferre audeat (4)? Demosthenes quoque nos monet illas imagunculas cum

καινῶς εἰγρασμένα καὶ οἷον ἐκ πυρὸς, διὰ δὲ τοῦ ἀποκινναβευμάτων οἷον καινῶς πεπλασμένα, καὶ διάθεσιν ἔχοντα · κίνναβὸς γὰρ τὸ εἴδωλον, πρὸς ὃ οἱ πλάσται καὶ οἱ ζωγράφοι βλέποντες διατίθενται πλάττοντες καὶ γράφοντες · κέχρηνται πολλοί.

(1) Plinius, *Nat. hist.*, xxxv, 66. Fecit et figlina opera quæ sola in Ambracia relicta sunt, cum inde Musas Fulvius Nobilior Romam transferret.

(2) Plat., *Phædr.*, p. 230 B : « Νυμφῶν τέ τινων καὶ Ἀχελῴου ἱερὸν ἀπὸ τῶν κορῶν τε καὶ ἀγαλμάτων ἔοικεν εἶναι. »

(3) Plat., *Theæth.*, p. 147 A : « πηλὸς, εἴτε ὁ τῶν κοροπλάθων... εἴτε ἄλλων ὡντινωνοῦν δημιουργῶν. »

(4) Isocrat., *De permutat.*, 2 : « Εἴ τις Φειδίαν ... τολμῴη καλεῖν κοροπλάθον. »

ceteris rebus in foro venumdari (1) : tantum abest ut ab usu communi sejunctæ et a vulgo relegatæ fuerint. Similia quædam docent ætatis inferioris scriptores qui definiendo constituerunt, quis esset sigillorum fictor, qua materia uteretur, quæ simulacra fingeret (2).

Quod si ad Romanæ ætatis scriptores accedemus, eadem confirmata et alia quædam nova sentiemus. A Tuscis quidem Romam importata ars fingendi videtur (3) ; cujus figlina opera primum ad ornanda deorum delubra accommodabantur. Ab initio enim figlinum Jovis simulacrum in Capitolio fuisse consecratum et ejusdem templi fastigium fictili curru ornatum dicitur (4). Diutissime viguit illa consuetudo, si Plinio fidem habemus, qui miratur tot lignea atque fictilia deorum simulacra in Romanis templis dicata usque ad Asiam devictam (5). Quod quidem confirmatum

(1) Demosth., *Philipp.*, I, 26 : Ὥσπερ γὰρ οἱ πλάττοντες τοὺς πηλίνους εἰς τὴν ἀγορὰν, χειροτονεῖτε τοὺς ταξιάρχους καὶ τοὺς φυλάρχους, οὐκ ἐπὶ τὸν πόλεμον.

(2) Harpocrat., p. 114, 27 : Κοροπλάθος· τοὺς ἐκ πηλοῦ ἢ κηροῦ ἤ τινος τοιαύτης ὕλης πλάττοντας κόρας ἢ κόρους οὕτως ὠνόμαζον. Hesychius, *Lexic.* : Κόρη· νύμφη, ἣν ταῖς παρθένοις ἔπεμπον · καὶ παρθένος. Suidas, *Lexic.* : Κοροπλάθοι · οἱ τοὺς κόρους πλάττοντες κηρῷ ἢ γύψῳ, τουτέστι τὰ ζῷα πάντα, οἱ κατασκευάζοντες εἴδωλα βραχέα ἐκ πηλοῦ πάντων ζώων, οἷς ἐξαπατᾶσθαι τὰ παιδάρια εἴωθεν, οὗτος κοροπλάθος καλεῖται. *Etymolog. Magn.* : Κοροπλάστης. ὁ τὰ ζῶα διαπλάττων · οὐ γὰρ μόνον κούρους ἢ κόρας ὁμοίας πλάσσει, ἀλλὰ πᾶν ζῶον · καὶ κοροπλάθους, τοὺς ἐκ κηροῦ ἢ πηλοῦ, ἢ τοιαύτης τινὸς ὕλης πλάττοντας κόρας ἢ κούρους · κόρη γὰρ, τὸ σμικρὸν ἀγαλμάτιον, τὸ γύψινον ἢ πήλινον. Bekker, *Anecdota*, p. 272, 31 : Κόρη ... τὸ μικρὸν ἀγαλμάτιον τὸ γύψινον καὶ πήλινον, ἀφ' οὗ καὶ κοροπλάθος ὁ ταῦτα ποιῶν καλεῖται.

(3) Cf. Blümner, *Technologie u. Terminologie*, II, p. 114, Ann. 6.

(4) Plinius, xxxv, 157. Plutarch., *Vit. Val. Public.*, 13. Cf. Blümner, *ibid.*

(5) Plinius, xxxiv, 34. Mirumque mihi videtur, cum statuarum origo

animadvertes a Catone qui multos audiebat antefixa fictilia deorum Romanorum ridentes (1). Eadem autem fictilia laudant Juvenalis et Propertius, quippe quæ paupertatem et majorum probitatem significarent (2).

Mox Asia et Græcia devictis, signorum luxuria urbem invasit, atque, in templis deorum, æneis, marmoreis, eburneis figlina cesserunt. Minime tamen languescebat fictorum industria; nec sigilla modo informabantur, sed tectorum aut putealium ornamenta ectypa (3), fructus etiam atque pisces, quos a veris discernere non licebat (4). Ita Romæ creverat horum fictorum multitudo, ut via quædam eorum officinis compleretur atque ideo « Sigillaria » diceretur (5).

Quod ad usum sigillorum pertinet, a Varrone traditur statuarios Græcum fingendi modum usurpasse, initia operis figlina quadam imagine delineantes, priusquam scalpro marmor attingerent : laudatur enim Arcesilas quidam, Luculli familiaris, cujus

tam vetus Italiæ sit, lignea potius aut fictilia deorum simulacra in delubris dicata, usque ad devictam Asiam, unde luxuria.

(1) Tit. Liv., xxxiv, 4, 4. Jam nimis multos audio Corinthi et Athenarum ornamenta laudantes mirantesque et antifixa fictilia deorum Romanorum ridentes.

(2) Juvenal., xi, 115. Hanc rebus Latiis curam præstare solebat — fictitilis et nullo violatus Jupiter auro. Propert., v, 1, 5. Fictilibus crevere deis hæc aurea templa.

(3) Cicer., *Ad Attic.*, i, 10, 3. Præterea typos tibi mando, quos in tectorio atrioli possim includere et putealia sigillata duo.

(4) Plinius, xxxv, 155. Varro tradit sibi cognitum Romæ Posim nomine, a quo facta poma et uvas, item pisces (non possis) aspectu discernere a veris.

(5) Sueton., *Claud.*, 16; *Nero*, 28. Cf. Plin., xxxv, 46. Orelli, *Inscript. latin.*, 935, 4189, 4191. *Corp. Insc. lat.*, II, 4970, 519, 4972, 85.

« proplasmata » tanta excellebant arte ut ab aliis artificibus magno emerentur (1). Plurima autem sigilla religionis causa comparabantur et privatas ædes quasi patrocinio tuebantur : inde figlinus quidam Mercurius, figulorum ipsorum patronus (2); inde Hercules, qui fragilem se fatetur, sed nomine verendum prædicat (3). Sunt aliæ imagunculæ quæ, ad religionem a fictoribus minime confectæ, religiosum quemdam a sola ementium voluntate accipiant : ideo, quæ dicuntur κόραι, cum ceteris crepundiis Dianæ aut Veneri consecrantur a virgine (4). Nec solum a virginibus, sed etiam a barbatis hominibus dicatas illas pupas deridet Lactantius (5). Constat enim magnam habuisse partem in deorum Romanorum cultu sigilla, præsertim cum agerentur Saturnalia, cujus dies ultima appellabatur Sigillaria : qua quidem festa die famulis mittebantur ab heris munuscula nonnulla, inter quæ imagines e cera vel ar-

(1) Plinius, xxxv, 156. Idem magnificat Arcesilaum, Lucii Luculli familiarem, cujus proplasmata pluris venire solita artificibus ipsis quam aliorum opera.

(2) Nicænet., *Anthol. Plan.*, xvi, 191 : Αὐτόθεν ὀστράκινόν με καὶ ἐν ποσὶ γήϊνον Ἑρμῆν — ἔπλασεν ἀψῖδος κύκλος ἑλισσόμενος. — Πηλὸς ἐφυράθην · οὐ ψεύσομαι. Ἀλλ' ἐφίλησα, — ὦ ξεῖν', ὀστρακέων δύσμορον ἐργασίην.

(3) Mart., xiv, 178. (Hercules fictilis) Sum fragilis : sed tu, moneo, ne sperne sigillum. — Non pudet Alciden nomen habere meum.

(4) *Anthol. Palat.*, vi, 280 : Τιμαρέτα πρὸ γάμοιο τὰ τύμπανα, τήν τ'ἐρατεινὴν — σφαῖραν, τόν τε κόμας ῥύτορα κεκρύφαλον, — τάς τε κόρας, Λιμνᾶτι, κόρᾳ κόρα, ὡς ἐπιεικὲς, — ἄνθετο, καὶ τὰ κορᾶν ἐνδύματ' Ἀρτέμιδι. Persius, *Sat.*, ii, 69-70. Dicite, pontifices, in sacro quid facit aurum? Nempe hoc quod Veneri donatæ a virgine pupæ.

(5) Lactant., ii, 4, 13. ... Pupas, non a virginibus quarum lusibus venia dari potest, sed a barbatis hominibus consecratas.

gilla vel qualibet materia (1). Nec non alia in puerilibus ludis locum tenuerunt. Nonne accepimus a Luciano, quo modo plerique sibi crepundia fingerent pueri, argilla vel cera tractata atque in figuras diversissimas ducta, quoque modo ipse, ab infantia in fingendo peritus, boves, equos atque etiam homines informare soleret (2)? Nonne queritur Dio tam multas in urbe constitutas videre statuas quam sigilla pueris donata (3)? Quæ quidem, variis coloribus distincta, ab eodem Luciano in foro venire dicuntur (4), nec dubium quin fuerint aliquando ad alliciendos delectandosque pueros comparata (5).

Quam formam induerent imagunculæ, etiam pers-

(1) Suet., *Claud.*, 5. Tiberius patruus petenti honores consularia ornamenta detulit. Sed instantius legitimos flagitanti, id solum codicillis rescripsit : quadraginta aureos in Saturnalia et Sigillaria misisse ei. Senec., *Epist.*, XII, 3. Non cognoscis me? inquit ; ego sum Felicio, cui solebas sigillaria afferre. Macrob., *Saturn.*, I, 11, 48. Pelasgos ... cœpisse Saturno cereos potius accendere et in sacellum Ditis aræ Saturni cohærens oscilla quædam pro suis capitibus ferre. Ex illo traditum ut cerei Saturnalibus missitarentur et sigilla arte fictili fingerentur.

(2) Lucian., *Somn.*, 2 : Ἐτεκμαίρετο δὲ ταῖς ἐκ τοῦ κηροῦ παιδιαῖς · ὁπότε γὰρ ἀφεθείην ὑπὸ τῶν διδασκάλων, ἀποξέων ἂν τὸν κηρὸν ἢ βόας ἢ ἵππους ἢ καὶ νὴ Δι' ἀνθρώπους ἀνέπλαττον · ἐφ' οἷς παρὰ μὲν τῶν διδασκάλων πληγὰς ἐλάμβανον. *Id.*, *Halcyon.*, 4 : Τὸ μὲν γὰρ τοιοῦτον καὶ τὰ παιδάρια τὰ παρ' ἡμῖν τὰ πλάττειν ἐπιστάμενα, πηλὸν ἢ κηρὸν ὅταν λάβῃ, ῥᾳδίως ἐκ τοῦ αὐτοῦ πολλάκις ὄγκου μετασχηματίζει πολλὰς ἰδεῶν φύσεις.

(3) Dio Chrysost., *Orat.*, XXXI, p. 356 M : Τοιγαροῦν ὁμοίως δίδοτε τοὺς ἀνδριάντας, ὥσπερ οἱ τὰς κόρας ταύτας ὠνούμενοι τοῖς παισί. Cf. *id.*, LX, p. 580 M.

(4) Lucian., *Lexiph.*, 22 : Ὡς νῦν γε ἐλελήθεις σαυτὸν τοῖς ὑπὸ τῶν κοροπλάθων εἰς τὴν ἀγορὰν πλαττομένοις ἐοικώς, κεχρωσμένος μὲν τῇ μίλτῳ καὶ τῷ κυανῷ, τὸ δ' ἔνδοθεν πηλινός τε καὶ εὔθρυπτος ὤν.

(5) Suidas : Κοροπλάθοι .. οἱ κατασχευάζοντες εἴδωλα βραχέα ἐκ πηλοῦ πάντων ζώων, οἷς ἐξαπατᾶσθαι τὰ παιδάρια εἴωθεν.

picies e scriptoribus. Cum enim νύμφαι appellentur pupæ, quæ virginibus in deliciis erant (1), verbo ipso intelliges quo habitu, que vestitu indutæ fuerint, nec memorare operæ pretium est quam multa figlina sigilla os et habitum virginis referant. Quæ describerentur deorum imagines, supra diximus. Ne ridiculæ quidem omittuntur personæ, quæ insolito ac deformi aspectu risum hominibus, metum infantibus movent (2) ; nec figuræ vultu fœdo, gibbere turpi insignes (3), quarum exempla in sigillis nuper effossis facillime reperies. Sunt etiam qui mentionem habeant de simulacris figlinis opus quoddam statuarium imitantibus, Marsyan scilicet manibus alligatum atque a trunco pendentem (4) : quam quidem rei statuariæ imitationem ipsi in Myrinensibus sigillis deprehendimus (5).

Plura quidem enumerare nobis liceat, si, quæcumque a scriptoribus antiquis dicta sunt de figlinis et de fingendi arte, referamus (6). Sed in hac disputatione, quidquid nonnullius ponderis et momenti erat ad rem explanandam, decerpere voluimus, quo

(1) Hesychius : Κόρη · νύμφη, ἣν ταῖς παρθένοις ἔπεμπον · καὶ παρθένος.

(2) Martial., XIV, 176. Sum figuli lusus rufi persona Batavi. — Quæ tu derides, hæc timet ora puer.

(3) *Id.*, 182. (Sigillum gibberi fictile) Ebrius hæc fecit terris puto monstra Prometheus ; — Saturnalicio lusit et ipse ludo.

(4) Achill. Tatius, III, 15. Τῶν δὲ νεανίσκων ὁ ἕτερος ἀνακλίνας αὐτὴν ὑπτίαν ἔδησεν ἐκ πεττάλων ἐπὶ τῆς γῆς ἐρηρεισμένων, οἷον ποιοῦσιν οἱ κοροπλάθοι τὸν Μαρσύαν ἐκ τοῦ φυτοῦ δεδεμένον.

(5) Cf. *Bull. de corr. hellén.*, VII, p. 87-92.

(6) Cf. Blümner, *Technologie u. Terminologie*, II, p. 113-139.

clarius appareret, non modo de sigillis non tacuisse auctores antiquos, sed certa quædam et dilucida de eorum usu et commercio significasse. Cetera igitur relinquimus. Hoc tantum retinemus, quo modo Græci rem figlinam ad usus diversissimos accommodaverint, ad ornanda deorum delubra et privatorum tecta, ad colendos deos atque Lares, ad delectandos pueros et virgines; quo modo eam in formas diversissimas duxerint, in divinas imagines, humanas figuras comicasque personas, atque etiam animalia (1). Præterea animadvertes qualibet materia usos esse fictores ad conficienda sigilla, non modo argilla, sed cera et gypso (2). Inde sequitur ut, quæ nobis tradita sunt de ceteris cujusque materiæ sigillis, nostræ disputationi plurimum prodesse possint : quæ quidem, licet materia a figlinis dissimilia, forma et usu minime differunt.

(1) Hoc quoque animadvertit Heuzey, *Monuments grecs*, 1873, p. 13, note 1 : « Il ne faut pas réduire l'industrie des coroplastes aux κόραι, poupées articulées qui servaient de jouets aux enfants. L'*Etymologicum Magnum* (p. 530, 11) nous avertit qu'ils modelaient toutes sortes de figures... Il est rare que les noms d'art et de métier restent dans les limites de leur étymologie ; comparez le mot ζωγράφος. »

(2) Vid. sup., p. 49 (2).

# CAPUT SECUNDUM.

## QUID SENSERINT ANTIQUI SCRIPTORES DE CETERIS SIGILLIS?

Paulo insolentius fiebat ut solida et tractanti dura materia uteretur fictor. Plura igitur accepimus de figlinis atque cereis, quam de aureis, eburneis æneisve sigillis. Quæ quidem ad usum splendidiorem servata æquo jure existimabis, præsertim ad decoranda deorum delubra aut locupletium hominum tecta. Si quis enim titulos lapidibus inscriptos perlegerit, in quibus describuntur et æstimantur vota in Attico Minervæ templo dicata, haud semel computata sentiet sigilla ex auro vel argento, quæ verbo solito κόραι dicuntur (1) ; sunt quoque larvæ, Gorgonis facies, animalia, atque eburnea Pacis imaguncula (2). In Deliacis titulis nuper effossis reperies quoque sigilla Apollini dicata : e quibus nonnulla formam habere Apollinis vel Amoris

(1) *C. I. Attic.*, Kirchhoff, p. 69. *Traditiones Hecatompedi*, a, 5 : Κόρη χρυσῆ ἐπὶ στήλης, ἄσταθμος ... κόρη ἐπὶ στήλης κατάχρυσος.

(2) *C. I. G.*, 150 B, l. 24 : Ἐν ἑτέρῳ κιβωτίῳ Εἰρήνη ἐλεφαντίνη κατάχρυσος. *Ibid.*, l. 3 : Βοΐδιον ἐλέφάντίνον. *Ibid.*, 151, l. 43 : Ἄστατον βοΐδιον ἐλεφάντινον. *C. I. Attic.*, Kirchhoff, p. 73 : Πρόσωπον ὑπάργυρον κατάχρυσον ... γοργόνειον, κάμπη ἐπίχρυσα ... ἵππος, γρὺψ, γρυπὸς προτομὴ, λέοντος κεφαλὴ, δράκων.

traduntur, alia hominum, alia denique animalium (1). Apud Diodorum Siculum legimus ad exsequias Hephæstionis quemque ducem aut Alexandri amicum imagunculas ex auro et ebore contulisse (2) : quam exprimerent formam, quid significarent, haud compertum est, sed sequentibus verbis fit apertum, easdem ad ornandum ingentem et ædificio similem rogum usurpatas fuisse. Quod quidem testimonium quasi unicum retinemus de sigillis in honorem defuncti cujusdam confectis. A Flacco denique traditur sigilla quædam Tyrrhena, scilicet exære ficta, in ædibus privatis locum habuisse cum gemmis, marmoribus, tabellis et ceteris ornamentis, quæ vestibula et domus penetralia apud Romanos decorabant (3) : quod quidem confirmatum habemus magna sigillorum æneorum copia, in Pompeianis ædibus repertorum.

Nunc de cereis disserendum est, quæ præsertim Romana ætate viguerunt ac creverunt. Non est quod

(1) Homolle, *Comptes des hiéropes du temple d'Apollon Délien* (*Bull. de corr. hellén.*, vi, p. 127) : Ἀπόλλων χρυσοῦς κνήμην οὐκ ἔχων — Ἀπόλλων ἀργυροῦς — Ἐρώτιον, Ἐρωτίδια, Ἐρωτίωγ καὶ βουπαλίων ζεῦγος — Ἀνδριαντίσκος ἀργυροῦς — χρυσοῦς — Ἀνδριάντιον ξύλινον ἐπίχρυσον — Ἀετοῦ κεφαλὴ ἀργυρᾶ ἐπίχρυσος, ἀετὸς ἀργυροῦς — Ὄφις, ὀφίδιον — Δρακόντιον — Τραγίσκοι — Σφίγγες — Ἱππάριον ἐπίχρυσον — Βουκεφάλια. βοὸς κεφαλὴ — Γρυπὸς κεφαλή — Λέοντος προτομή — Ζώιδιον ξύλινον ἐπίχρυσον.

(2) Diod. Sicul., xvii, 114 : Τῶν γὰρ ἡγεμόνων καὶ φίλων ἕκαστος, στοχαζόμενος τῆς τοῦ βασιλέως ἀρεσκείας, κατεσκεύαζεν εἴδωλα δι' ἐλέφαντος καὶ χρυσοῦ καὶ τῶν ἄλλων τῶν θαυμαζομένων παρ' ἀνθρώποις.

(3) Horat., *Epist.*, ii, 2, 180. Gemmas, marmor, ebur, Tyrrhena sigilla, tabellas, — argentum, vestes Getulo murice tinctas, — sunt qui non habeant : est qui non curat habere. Cf. Blümner, *Technolog. u. Term.*, ii, p. 124, Anm. 4 : « So sind die Tyrrhena sigilla bei Hor., *Ep.*, ii, 2, 180, jedenfalls Bronzene. »

credas eadem Græcis ignota fuisse ; namque Plato nos monet cereas quasdam imagunculas portis aut triviis atque etiam sepulcris affigi, quæ, secreto quasi veneficio nocentia, viventibus magnæ formidini erant (1). Eubulus quoque, poeta comicus, quis primus Amorem alatum e cera finxerit, rogat (2). Apud Callimachum autem et Theocritum eadem cerea sigilla tanquam pupæ habentur (3). In carminibus quæ Anacreontea falso dicuntur, cereum Amorem una drachma emere se poeta dicit (4). Apud Romanos ad plurimos usus accommodata fuisse senties. Ceram enim, haud aliter quam argillam, pueri ipsis manibus tractare assuescunt, varia quædam informantes (5), et cerea pupa, virginis ore et habitu insignis, haud semel commemoratur (6). Deorum quoque imagines e cera describuntur, scilicet Martis, Amoris, Veneris, Minervæ (7) et qui Lares

(1) Plato, *Leges*, xi, p. 933 : ... Ἂν ποτε ἄρα ἴδωσί που κήρινα μιμήματα πεπλασμένα, εἴτ' ἐπὶ θύραις εἴτ' ἐπὶ τριόδοις εἴτ' ἐπὶ μνήμασι γονέων αὐτῶν τινες, ὀλιγωρεῖν πάντων τῶν τοιούτων διακελεύεσθαι μὴ σαφὲς ἔχουσι δόγμα περὶ αὐτῶν.

(2) Apud Athen., *Deipnosoph.*, xiii, p. 562 : Τίς ἦν ὁ γράψας πρῶτος ἀνθρώπων ἄρα ἢ κηροπλαστήσας Ἔρωθ' ὑπόπτερον ;

(3) Callim., *In Cerer.*, 92 : Ὡς δὲ Μίμαντι χιὼν, ὡς ἀελίῳ ἔνι πλαγγών. Theocr., *Idyl.*, ii, 110 : Ἀλλ' ἐπάγην δαγῦδι καλὸν χρόα πάντοθεν ἴσα. Schol.: Δαγὺς δέ ἐστι κοροκόσμιόν τι, καλοῦσι δὲ αὐτὸ καὶ νύμφην, οἱ δὲ πλαγγόνα, ὡς Ἀττικοὶ, ἀπὸ τοῦ πεπλάσθαι ἐκ κηροῦ.

(4) *Anacreontea*, 10 (Bergk, p. 812). Ἔρωτα κήρινον... δὸς αὐτὸν ἡμῖν δραχμῆς.

(5) Cf. Lucian., *Somn.*, 2 ; *Halcyon.*, 4. Vid. sup., p. 52 (2).

(6) Clem. Alexandr., p. 117. Schol. : Κοροκόσμια, πλάσματα ἐκ κηροῦ ἢ γύψου νυμφῶν ἢ παρθένων τινῶν ἀναπλαττόμενα. Cf. Schol. Theocr., ii, 110. Vid. sup. not. 3.

(7) Plin., *Epist.*, vii, 9, 11. Ut laus est ceræ, mollis cedensque sequa-

dicuntur, tectis atque focis privatis præsidentes (1). Præterea plurimum cera usi sunt fictores in hac arte quæ viventium similitudines exprimebat : quod quidem artificium antiquitus inventum a Lysistrato, Lysippi fratre, traditur (2). Inde nata sunt cerea capita, quæ cujusque oculis proponebant dilectos cognatorum aut amicorum vultus; inde majorum imagines, quæ in sacrario cum Laribus ponebantur et in pompa funebri ducebantur; nec cereas larvas prætermittere decet, quæ ipsam defunctorum faciem obvelabant, ita ut viventium speciem diutius retinerent (3). Tempus autem nos deficiat, si exponere contendamus quot opera, quot instrumenta, quot ornamenta e cera ficta sint : plura sint explicanda de coronis, fructibus, animalibus, latrunculis, figuris ad incantamenta usurpatis (4). Sed nihil aliud nobis in animo erat quam ostendere admodum similem ceræ et argillæ usum in variis fingendi artibus. Ideo Tullius æque verba facit

tur, — si doctos digitos jussaque fiat opus, — et nunc informet Martem castamve Minervam, — nunc Venerem effingat, nunc Veneris puerum.

(1) Juvenal., *Sat.*, XII, 87. Inde domum repetam, graciles ubi parva coronas — accipiunt fragili simulacra nitentia cera.

(2) Plinius, *Nat. hist.*, XXXV, 153. Hominis autem imaginem gypso e facie ipsa primus omnium expressit ceraque in eam formam gypsi infusa emendare instituit Lysistratus Sicyonius, frater Lysippi, de quo diximus. Hic et similitudines reddere instituit; ante eum quam pulcherrimas facere studebant.

(3) Cuncta de his rebus testimonia nobis enumerare non licet, utpote quæ sint frequentissima. Cf. Marquardt, *Handbuch der Römischen Alterth.*, *Privatleben*, t. VII, p. 234-235, 342-343; Blümner, *Technolog. u. Terminol.*, II, p. 156-157; Benndorf, *Antike Gesichtshelme u. Sepulcralmasken*; Daremberg et Saglio, *Dict. des antiquités*, article *Cera*, p. 1019.

(4) Cf. Blümner, *loc. cit.*, p. 156.

de cereis et fictilibus figuris (1) ; ideo Plotinus nullo modo sejungit eos qui dicuntur κηροπλάσται vel κοροπλάσται (2). Idem usus, eadem erat fingendi ratio; quæ quidem diutissime viguit, ita ut, quarto sæculo post Chr., imperator Valentinianus in fingendis cera seu limo simulacris excellere diceretur (3).

Nondum tamen nostram de cujuslibet materiæ sigillis disputationem absolvimus. Sunt enim quorum materia nullo modo significetur. Sintne e limo, an e cera aut gypso, ignoramus : sigilla tamen, neque nobis omittenda, præsertim cum deorum imagines in ædibus privatis positas atque consecratas testentur. Hic enim herois cujusdam effigies exprimitur qui, stans ante portas, domicilium protegit et tuetur (4) ; illic Veneris imago, quæ posita intus conjugis erga virum pietatem significat (5). Nunc Bacchi (6), nunc Jovis (7) simulacra in privato sacrario servantur. Fiebat ut eadem sigilla, ad privatam religionem pertinentia, in vasis

(1) Cic., *De nat. deor.*, I, 26, p. 71. Hoc intelligerem, quale esset, si id in ceris fingeretur aut fictilibus figuris.

(2) Plot., *Ennead.*, III, 8, p. 344 : Οὐδὲ οἱ κηροπλάσται ἢ κοροπλάσται ... χρώματα δύνανται ποιεῖν μὴ ἀλλαχόθεν ἐπάγοντες.

(3) Aurel. Vict., *Epit. de Cæs.*, 45, 7. Pingere venustissime, meminisse, nova arma meditari, fingere cera seu limo simulacra.

(4) *Antholog. Palat.*, IX, 336 : Ἥρως Αἰετίωνος Ἐπίσταθμος Ἀμφιπολίτεω — ἵδρυμαι μικρῷ μικρὸς ἐπὶ προθύρῳ.

(5) *Ibid.*, VI, 340 : Ἁ Κύπρις οὐ πάνδαμος · ἱλάσκεο τὰν θεόν, εἰπὼν — οὐρανιάν, ἁγνᾶς ἄνθεμα Χρυσογόνας — οἴκῳ ἐν Ἀμφικλέους, ᾧ καὶ τέκνα καὶ βίον ἔσχε — ξυνόν...

(6) *Ibid.*, XI, 295 : Εἴ τιν' ἔχεις Διόνυσον ἐνὶ μεγάροισι τεοῖσι, — τὸν κισσὸν ἀφελὼν, θριδάκων φύλλοις στεφάνωσον.

(7) Suidas, *Lexic.*, s. v. : Ζεὺς κτήσιος, ὃν καὶ ἐν τοῖς ταμιείοις ἱδρύοντο ὡς πλουτοδότην.

aut thecis quibusdam, in modum hermarum confectis, includerentur (1) : quod quidem in Pompeianis ædibus deprehensum quoque accipimus (2). Alia sunt in publicis sacrariis collocata. Puer unus, qui condiscipulos bene scribendo superaverat, Musis figuram deridiculi cujusdam senis dicat (3) ; alter autem, qui facilitatem ad discendum rogabat, eisdem Musis Bacchi imaginem (4) ; neque dissimilia sunt, ut videtur, ea quæ oscilla a Virgilio dicuntur et Baccho consecrata e summa arbore pendent (5). Quam autem sortem obtinuerit, ubinam fuerit collocatum sigillum pueri a Bruto amati (6), perspicere non licet ; nihil autem impedit quin privati cujusdam domum ornaverit. Scimus enim apud Romanos viguisse fingendi

(1) Athen., xi, p. 473 B : Κάδισκος · ἀγγεῖον ἐν ᾧ τοὺς Κτησίους Δίας ἐγκαθιδρύουσιν, ὡς Ἀντικλείδης φησὶν ἐν Ἐξηγητικῷ γράφων οὕτως. *Etymol., Magnum*, p. 156, 50, s. v. : Ἀρμάριον ... Οἱ γὰρ Ἕλληνες οἷά τινας ἀνδριάντας ἐποίουν, μήτε χεῖρας, μήτε πόδας ἔχοντας · τούτους Ἑρμᾶς ἐκάλουν, οὗ ὑποκοριστικὸν ἑρμάριον · ἐποίουν δὲ αὐτοὺς διακένους θύρας ἔχοντας καθάπερ τοιχοπυργίους · καὶ ἔσωθεν αὐτῶν ἐτίθουν ἀγάλματα, ὧν ἔσεβον θεῶν · ἔξωθεν δὲ ἀπέκλειον τοὺς ἑρμᾶς.

(2) Rohden, *Teracotten von Pompeji*, p. 26 : « Man entschloss sich auch wol die Statuetten anderweitig, etwa in Kasten oder Wandschränken unterzubringen, etc. » Cf. Cartault, *Collect. Lécuyer*, pl. D².

(3) *Antholog. Palat.*, vi, 308 : Νικήσας τοὺς παῖδας, ἐπεὶ καλὰ γράμματ' ἔγραψεν, — Κόνναρος ὀγδώκοντ' ἀστραγάλους ἔλαβεν, — κἀμὲ, χάριν Μούσαις, τὸν κωμικὸν ὧδε Χάρητα — πρεσβύτην θορύβῳ θήκατο παιδαρίων.

(4) *Ibid.*, 310 : Εὐμαθίην ᾐτεῖτο διδοὺς ἐμὲ Σῖμος ὁ Μίκκου — ταῖς Μούσαις · αἱ δὲ, Γλαῦκος ὅκως, ἔδοσαν — ἀντ' ὀλίγου μέγα δῶρον · ἐγὼ δ' ἀνὰ τήνδε κεχηνὼς — κεῖμαι τοῦ Σαμίου διπλόον, ὁ τραγικὸς — παιδαρίων Διόνυσος ἐπήκοος...

(5) Virgil., *Georgic.*, ii, 388. Et te, Bacche, vocant per carmina læta, tibique — oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.

(6) Martial., xiv, 171. (Βρόντου παιδίον) Gloria tam parvi non est obscura sigilli ; — Istius pueri Brutus amator erat.

artem, quæ de signis nobilibus effigies multas gypso exprimebat (1), ita ut quisque sua ornaret atria imaginibus notis (2). Cum igitur Plinius nos doceat hujus pueri statuam ab Apollodoro fuisse perfectam (3), non dubium quin sigillum a Martiale descriptum ex opere inclito ductum fuerit.

(1) Plinius, *Nat. hist.*, xxxv, 153. Idem (Lysistratus, frater Lysippi) et de signis effigies exprimere invenit. Lucian., *Jup. trag.*, 33 : πίττης γοῦν ἀναπέπλησται (Ἑρμῆς ἀγοραῖος) ὁσημέραι ἐκματτόμενος ὑπὸ τῶν ἀνδριαντοποιῶν. Schol. : οἱ γὰρ ποιοῦντες τοὺς ἀνδριάντας ἔθος εἶχον περιπλάττειν τὸ ἄγαλμα τοῦ Ἑρμοῦς πίσσῃ καὶ οὕτω λαμβάνειν τὸ αὐτοῦ ἐκτύπωμα, ἵνα πρὸς αὐτὸ ποιήσωσιν.

(2) Juvenal., *Sat.*, ii, 4 : ... Quanquam plena omnia gypso — Chrysippi invenias; nam perfectissimus horum est, — si quis Aristotelen similem vel Pittacon emit — et jubet archetypos pluteum servare Cleanthas.

(3) Plinius, *Nat. hist.*, xxxiv, cap. 8. Item fecit Apollodorus puerum, quem amando Brutus Philippensis cognomine suo illustrissimum fecit.

## CAPUT TERTIUM.

### QUID EX ANTIQUIS MONUMENTIS DE USU SIGILLORUM COMPERTUM SIT?

Nunc quærendum est, ecquid in ipsis monumentis, marmoribus, anaglyphis, gemmis, pictis vasis, ad explicandum sigillorum usum prosit? Quæ quidem, ut opinor, omnino congruentia cum scriptorum testimoniis senties, ita ut ad diversissimos usus, scilicet ad puerorum delectamenta, ad deorum privatam publicamque religionem, ad ædium ornamenta, sigilla fuisse accommodata videantur. In monumentis quidem, cujus sint materiæ sigilla, perspicere non licebit; quippe quæ nihil, nisi rerum formam et speciem præbeant. Hoc tamen rei disputandæ impedimentum esse non existimamus, cum nos docuerint auctores antiqui parem usum fuisse cujuslibet naturæ sigillis.

Paucissima verba faciemus de anaglyphis aut gemmis quæ nobis artifices in fingendo occupatos ostendunt. Pervulgata est in sarcophagis exsculpta figura

Promethei effigiem humanam informantis (1). Cui persimiles sunt in gemmis imagines fictorum, qui instrumenta sigillo inchoato aut jam ad unguem perfecto admovent (2). Hæc autem exempla potius ad fingendi rationem quam ad sigillorum usum pertinent. Itaque in hac re non diutius morabimur.

Plurima sunt sigilla quæ diis consecrata videantur. Nos etiam docent, quo modo precantes consecrationem dicatæ rei facerent : in anaglypho quodam marmoreo ara stat, fructibus et variis donis operta, prope quam consistunt vir et mulier; hic et illic, porrecta manu, sigillum gestant et in loco parato deponere instituunt (3); quod quidem Græco sermone ἱδρύεσθαι dicitur. Simili modo nobis præbet cum aliis votis in mensa positis simulacrum quoddam in ædicula constitutum et Dianæ consecratum Herculanensis pictura, quæ Oresten et Pyladen ad Iphigeniam adductos fingit (4). Quis nescit inclitum vas, e lapide onychino elaboratum, quod e Ptolemæorum thesauro ereptum traditur? Ibi quoque sigilla nonnulla animadvertes cum ceteris Bacchicis donis in mensa deposita (5). Sæpius autem apparent

(1) Clarac, *Mus. de sculpture*, pl. 215, 433 ; 216, 768. Müller-Wieseler, *Denkmäler der alten Kunst*, II, pl. 65, 838[a]. Welcker, *Alte Denkmäler*, V, 185, pl. XI.

(2) Ficoroni, *Gemmæ litteratæ*, t. IV, 5 ; V, 1. Müller-Wieseler, *id.*, II, pl. 65, 838. Blümner, *Technologie u. Terminolog.*, II, p. 122, fig. 27, 28.

(3) Bas-relief du *Mus. du Vatican.*

(4) *Pitture d'Ercol.*, I, 12, p. 67. *Museo Borbonico*, VIII, pl. 19. Daremberg et Saglio, *Dict. des antiq.*, s. v. *Ædicula*, p. 86, fig., 133.

(5) Clarac, *Mus. de sculpt.*, II, pl. 125. Daremberg et Saglio, *id.*, s. v. *Abacus*, p. 3, fig. 6.

eadem vota arboribus sacris apposita aut suspensa. Compertum est enim apud Græcos Romanosque viguisse propriam quamdam arborum religionem (1); quibus anaglypha, tabellæ pictæ, amuleta, vittæ a precantibus alligabantur, atque etiam sigilla figlinis figuris habitu et specie admodum similia (2). Eamdem similitudinem et paulo insigniorem deprehendimus in pictis quibusdam vasis, quæ nobis ostendunt sub ædicula columnata undam e leonum gulis defluentem; in ima autem parte jacentia sigilla et parietibus affixæ tabellæ vim medicam aquarum et ægrotantium pietatem testantur (3) : quæ pictura miro modo videtur illustrare Platonis verba nuper prolata (4), eo magis quod vox apud Græcos usitata, κόραι, cum pictis imagunculis omnino congruit.

Sigillorum quoque in basi aut columna stantium frequentissima sunt exempla. Sigillum Priapi sub ædicula positi, cui hostia immolatur, in gemma exsculptum est (5); in altera gemma simile quoddam sacrificium effingitur, cui præsidet imaguncula in columna erecta (6). In anaglyphis, in pictis vasis vel

(1) Daremberg et Saglio, s. v. *Arbores sacræ*, p. 356-362.

(2) *Annali dell' Instit. archeolog.*, 1829, tav. C. Le Bas, *Voyage archéologique en Grèce et en Asie Mineure*, *Mon. fig.*, pl. 98 bis. Daremberg et Saglio, *loc. cit.*, p. 360, fig. 448.

(3) *Monumenti inediti dell' Inst. archeol.*, 1845, pl. 14, 18. Daremberg et Saglio, *id.*, s. v. *Aquæ*, p. 335, fig. 395.

(4) Vid. sup., p. 48.

(5) Daremberg et Saglio, *Dict. des antiq.*, s. v. *Ædicula*, p. 85, fig. 130.

(6) *Id.*, s. v. *Bacchus*, p. 629, fig., 714.

in Romanis picturis, sæpissime exprimuntur illæ deorum imagunculæ (1).

Alia quidem nobis insignia sigilla in ædibus privatis constitui videntur, ita ut in larariis posita et tutelæ domus consulentia dicas. In pictura quadam e fabulis scenicis ducta apparet ara domestica et simulacrum super impositum (2). In officinis suspenduntur tabellæ, comicæ et satyricæ personæ, quæ a Græcis ἀποτροπαῖα dicebantur (3). Sunt etiam quæ nihil prodesse, nisi ut parietes decorent, videantur (4).

Apparet quoque, quo modo eadem sigilla pueris et virginibus velut crepundia et delectamenta data fuerint. Nihil quidem ad id probandum aptius quam funebria quædam anaglypha, in Græcia reperta, in quibus duo tunicatæ effinguntur virgines : hæc manibus sustinet sigillum, quod nudam hominis effigiem, pedibus et manibus amputatis, exprimere videtur (5); illa autem, puero avem ferenti obvia, mulieris imaginem gestat, cui pariter pedes manus-

(1) *Id.*, s. v. *Ara*, p. 347, 348, fig. 407, 408, 410. Cf. *Museo Borbonico*, IV, pl. 9; VI, pl. 55; VIII, pl. 18; X, pl. 52; XI, pl. 15, 16; XVI, pl. 12. Zoega, *Bassi Rilievi*, I, pl. 37; II, pl. 80, etc.

(2) *Monumenti inediti*, 1845, pl. 12. *Annali*, 1845, p. 245-267.

(3) Gerhard, *Trinkschalen des k. Museums zu Berlin*, pl. 12-13. Daremberg et Saglio, *Dict. des antiq.*, s. v. *Cælatura*, p. 790, fig. 937. Blümner, *Technol. u. Termin.*, II, p. 47, fig. 8.

(4) *Museo Borbonico*, II, pl. 56. Daremberg et Saglio, *id.*, s. v. *Choragium*, p. 1116, fig. 1421.

(5) Le Bas, *Voyage archéolog.*, *Mon. fig.*, pl. 88, n° 1. Stephani, *Mélanges gréco-romains*, I, p. 186, pl. n° 2.

que desunt (1). In tertio quodam anaglypho, quod in Tusca regione repertum traditur, mulier sedet et ornatrici capillos pectendos præbet, adstantibus ceteris famulis, inter quas puerulus istius modi sigillum in manibus habet (2). Omnibus illis exemplis adjungere non repugnabo vas quoddam, pictis figuris ornatum, quod Atticæ artis elegantiam redolet : in operculo pinguntur Satyri cum mulieribus et Bacchis ludentes; quorum unus mulieri obviæ manu porrecta præbet sigillum, scilicet sedentis mulierculæ imaginem (3). Quod quidem conferes cum Amore quodam alato, qui in Tanagræo sepulcro depositus traditur et admodum similem mulierculæ effigiem gestat; neque id aliud quam delectamentum aut rem quotidiani usus esse dices, cum ceteri Amores, in eodem loco reperti, inter se colludere videantur, hic pila, ille calceis, tertius autem sacco oneratus (4).

(1) Le Bas, *id.*, pl. 88, n° 3.

(2) Roulez, *Mémoires de l'Acad. belge*, XIX (1845), *Sur un bas-rel. d'Arezzo*, p. 3-14.

(3) *Compte rendu de la Commission impériale de S.-Pétersbourg*, 1862, pl. 2. Cf. Rayet, *Gaz. des B.-arts*, décembre 1881, p. 481-482. Lenormant, *Gaz. des B.-arts*, mars 1882, p. 216.

(4) *Griechische Terracotten aus Tanagra u. Ephesos im Berl. Mus.*, pl. 25.

## CAPUT QUARTUM.

### QUID DOCEANT DE SIGILLIS INDAGATIONES AD EFFODIENDA ANTIQUA MONUMENTA CONFECTÆ.

Tria sunt sigillorum genera, si quis, ubinam reperiantur, considerare curabit. Cuncta enim sub terra condita invenies, sive apud deorum delubra et sacraria, sive in ædibus privatis, sive in sepulcris. Quæ quidem singula nobis intuenda sunt.

Nullus fere est locus, numini cuidam consecratus, in quo figlinorum reliquias votorum effodiendo non deteget, quicumque funditus solum subverterit. Quod si in recentibus libris de hac re brevissima aut fere nulla invenitur descriptio, non miramur. Sæpius enim fit ut monumentorum veterum indagatores de lapidibus inscriptis, de marmoreis simulacris, de ipsa ædificii forma laborent; ea autem figlina, quæ plerumque fracta atque informia eruuntur, omnino vilia habeant. Nonnihil tamen accepimus de locis, in quibus plurima figlinorum votorum fragmenta reperiuntur : Athenis quidem, ad Asclepii et Dianæ sacra-

ria (1) ; cumulatim ad Tegeam, in Arcadio Cereris templo (2) ; ad Olympiam et ad Corinthum, in Junonis et Neptuni fanis (3) ; in insula Deliaca ad deorum Externorum templa (4) ; in Asia, ad Tarsum (5) ; ad Citium, in insula Cypro (6) ; in Italia, ad Capuam in templo Joviæ Damusæ, ad Pæstum in inclito Neptuni delubro (7), et nuper ad Tarentum (8). Sunt quidam ex illis fragmentorum acervis qui aliam ob causam quam ob religionis cultum aggesti dicantur : scilicet opifices ex officinis rejiciebant quidquid in coquendo aut in fingendo vitiatum fuerat, ita ut in vicino quodam loco acervatim accumularentur. Ita quidem se fert opinio de Tarsensibus figuris, in quibus plurima membra imperfecta aut cruda distinguuntur (9). De ceteris autem nulla fit disceptatio, nec cuiquam dubium quin figlinorum votorum reliquias in sacrariis dicatorum habeamus.

Qui autem fit ut fere omnia fracta et quasi dilace-

(1) Martha, *Catalogue des figurines en terre-cuite*, p. VIII.

(2) *Id.*, p. XI-XII.

(3) Bœtticher, *Olympia*, p. 235. Rayet, *Gaz. archéolog.*, 1880, p. 101-107. Collignon, *Annales de la faculté de Bordeaux*, 1882, p. 38-43, pl. 1.

(4) Hauvette-Besnault, *Bull. de corr. hellén.*, VI, *Fouilles de Délos*, p. 312, 313.

(5) Heuzey, *Gaz. des B.-arts*, novembre 1876, *Les fragments de Tarse au Musée du Louvre*, p. 385-405.

(6) *Bull. de corr. hellén.*, III, p. 85-91. Heuzey, *Catalogue des figurines antiq. de t.-cuite du mus. du Louvre*, I, p. 162-166.

(7) *Mélanges d'archéol. et d'hist. de l'Ec. fr. de Rome*, II, p. 401-402.

(8) Lenormant, *Gaz. des B.-arts*, mars 1882, p. 201-224. *Id.*, *Gaz. archéologique*, 1882, p. 82-85.

(9) Heuzey, *Fragments de Tarse*, *Gaz. des B.-arts*, nov. 1876, p. 385-405.

rata eruantur? ut acervo aggesta et sæpius e loco sacrato procul rejecta? Cujus rei causam titulis quibusdam novimus. Cum enim paulatim complerentur sacraria innumeris precantium votis, usu et religione haud vetitum sacerdotes, quidquid auri aut argenti esset, in vasa aut quælibet instrumenta conflando vertere; quidquid autem nullius pretii, exterminare et rejicere, modo ut omnia minutatim frangerent, ne quis vota olim consecrata colligeret et rursus Numinibus dicaret (1). Inde aggesta figlinorum votorum fragmenta, quæ nunc in situ templorum jacent : in quibus apparent præsertim deorum dearumve simulacra, qui ibidem colebantur, nec non mythicæ aut domesticæ imagines. Quod quidem senties, non solum in Tegeæis Cypriisve sigillis (2), sed etiam in vetustissimis Corinthiis tabellis, quæ nunc Neptunum et Amphitriten, nunc mortales in variis artibus versantes, figulos scilicet, operarios, venatores, equites et plures alios exprimunt (3).

Quod si operis pretio aut magnitudine cæteris præcellebant figlina quædam, cum aliis simulacris in sacrario servabantur : quod quidem exploratum

(1) *C. I. G.*, 1570. *C. I. Att.*, II, 403, 404. Girard et Martha, *Bull. de corr. hellén.*, II, p. 419 et sq. Martha, *Catalog. des figurines en t.-cuite*, p. XII. *Id.*, *Les Sacerdoces athéniens*, p. 105-110. *Mélanges d'archéol. et d'hist. de l'Ecole fr. de Rome*, II, p. 401, 402. Heuzey, *Catalogue des fig. en t.-cuite du mus. du Louvre*, I, p. 166. Rayet, *Gazette archéol.*, 1880, p. 101-107. Lenormant, *Gaz. des B.-arts*, mars 1882, p. 213.

(2) Martha, *Catalogue*, nos 541-626. *Bull. de corr. hellén.*, III, p. 86-91.

(3) Rayet, *Gaz. archéolog.*, 1880, p. 101-107. *Archæologische Zeitung*, 1880, p. 195. Collignon, *Annales de la faculté de Bordeaux*, 1882, p. 38-43, pl. 1.

Pompeiis, ubi stabant in Æsculapii templo proceritate insignes dei deæque effigies atque ingens Minervæ caput (1), in Isidis fano Sphingis imago eximia arte perfecta (2), et ante Portam Marinam, quasi urbis tutela, magna Minervæ statua, olim in basi posita, nunc terræ motu atque incendio concussa et comminuta (3).

In eadem civitate perspicua et insignia reperiuntur documenta de figlinis signis, quæ privatas ædes ornabant. De ornamentis ectypis nil loquor, scilicet de larvis, comicis capitibus, animalibus, floribus, cauliculis, quibus tectorum fastigia aut laquearia decorabantur (4). Nil aliud intueor quam figlina opera, in interioribus ædium partibus deposita. Quorum quidem duo sunt genera. Tabulis quibusdam figlinis parietes vestiebantur, in quibus diversas videre est figuras, seu Amores alatos et properantes, seu milites citatis equis avectos, seu Nereidas hippocamporum dorso insidentes atque Achillea arma gestantes (5) : in quibus ad parietem affigendis patent etiamnunc clavis inserendis foramina. Quædam emblemata aut figuræ putealibus affixæ (6) nobis in memoriam revocant « putealia sigillata » quæ se ad Atticum mandasse

(1) H. von Rohden, *Terracotten von Pompeji*, p. 18, 20, pl. 29.
(2) *Id.*, p. 45, pl. 33.
(3) *Id.*, p. 18, 20, 44, pl. 31.
(4) *Id.*, p. 1-18, pl. 1-18.
(5) *Id.*, p. 16-17, pl. 20-24. Cf. Frænkel, *Archæolog. Zeitung*, 1879, pl. 11.
(6) *Id.*, p. 40, pl. 27.

scribebat Tullius (1). Sunt Atlantes parieti acclines et epistylium capite sustinentes (2); sunt alii qui, solo innixi, tabulam quamdam fronte fulciant (3) : quæ omnia ex argilla confecta miro modo significant quam partem ars figlina in ædibus exornandis habuerit.

Sed hæc hactenus. Quærimus enim de simulacris aut sigillis quæ suum in se finem habent, neque supellectili neque architecturæ copulata. Nonnulla quidem proceritate conspicua distinguimus. Pompeiana monumenta in Neapolitano Museo invisentis exspectationem movet ore aperto et habitu ambiguo barbatus vir sedens, nuper effossus ex horto Pompeiano quem, ut videtur, ornabat (4). Eodem modo, in aditu hortuli cujusdam stabant histrionum simulacra quæ inter amplissima figlinæ artis opera ponuntur (5). Apertius et clarius novimus, quo modo hortulum decorarent puerorum nudorum imagines, statura multo minores, quarum unam fere integram (6) et alteram omnino concussam servavimus : collocabantur quidem in loculis ordinatim excavatis; reliquam autem parietis partem distinctæ variis coloribus picturæ vestiebant (7). Jam proximo sæculo, inchoatis Pompeianis indagationibus, describebatur domus, quæ Juliæ Fe-

(1) Cic., *Ad Attic.*, I, 10, 3. Præterea typos tibi mando, quos in tectorio atrioli possim includere et putealia sigillata duo.

(2) Rohden, p. 18-19, pl. 25.

(3) *Id.*, p. 18-19, pl. 26, 2.

(4) *Id.*, p. 21, pl. 32.

(5) *Id.*, p. 22, pl. 35. Cf. *Museo Borbonico*, XIV, pl. 37.

(6) *Id.*, pl. 34.

(7) *Id.*, p. 21, 22. Cf. *Giornale di Pompei*, 1874, p. 52.

licis dicitur, cujus in vestibulo duodeviginti loculi in muro excisi apparebant atque intus, vice alterna dispositæ, marmoreæ Hermarum effigies et figuræ quædam ex argilla (1). E quibus pleræque nobis servatæ sunt, nec parvi pretii est considerare, quam simillimæ sigillis juxta mortuos depositis esse videantur. Proceritate mediocres, coloribus distinctæ, rudem quamdam et inconditam artem redolentes, sæpius ad res ridiculas obscenasque versæ, miro modo congruunt cum figuris quæ, Romana ætate, in Italiæ vel Asiæ sepulcris conditæ fuerunt. Tres quidem vasorum formam induunt, ut eodem tempore fieri solebat (2); quarum una senex quidam, vestitu barbaro conspicuus, effingitur, secunda et tertia pumiliones deridiculo vultu, peni ingenti, servili veste et deraso capite insignes (3). Simile quoddam histrionis aut scurræ caput quarta figura exprimitur (4). Quinta autem, præsertim notabilis et inclitæ cujusdam tabulæ imitationem prosecuta, præbet filiam patri captivo et fame consumpto mammam dantem, quæ « Romana Caritas » vulgo dicitur (5). Quod quidem demonstrare videtur figlina quædam sigilla nihil profuisse

(1) Rohden, p. 47, 62.

(2) Cf. Treu, *Griechische Thongefässe in Statuetten u. Büstenform.*, Berlin, 1875.

(3) H. von Rohden, *Terracotten von Pompeji*, p. 47, pl. 35, 3; 36, 1, 2.

(4) *Id.*, pl. 41, 4.

(5) *Id.*, pl. 47. De pictis tabulis, quæ eamdem imaginem exprimunt, cf. *id.*, p. 57-59, fig. 27, 28, 29.

in ædibus privatis, nisi ut parietes decorarent, velut tabulæ pictæ ceteraque ornamenta.

Insigne aliud documentum invenimus in atrio domus, quæ Lucretii appellatur. Ibi enim, quo modo cum æneis sigillis figlina quoque consociarentur, clare perspicimus. In eodem loculo stabant quinque æneæ imagunculæ, Fortuna scilicet, Hercules, Isis, bina Jovis simulacra, atque una cum ceteris figlinum pueri bulla ornati caput (1) ; quod quidem tanquam sub Penatium tutela positum atque consecratum dicas. Præterea, in exigua humilique casa, loculus quidam æneis sigillis viri equitantis et Dianæ, figlino Deæ capite, muliere puerulum alente, parva Medusæ facie et puerilibus larvis complebatur (2). Dubitare igitur non possumus, quin plerumque hi loculi pro sacrariis et larariis fuerint, in quibus deorum imagines cum humanis figuris consociabantur. Sæpius enim ibidem reperiuntur deorum dearumve simulacra, scilicet in Pompeianis ædibus figlina quædam Minerva et Æsculapius (3), Venus et Mercurius in Herculanensibus (4), ænea quoque Bacchi et Martis sigilla (5). Qua pietate cives colerent illas imagunculas, quamvis parvi pretii et artis inconditæ plurimæ essent, haud ignoramus : nam quidam, reperientes cadavera in viis

(1) Rohden, p. 24, 70. Cf. Marquardt, *Handbuch der Röm. Alterth.*, VII, p. 118, not. 7 ; p. 234, not. 7.

(2) *Id.*, p. 24-25, pl. 28, 1 ; 45, 3.

(3) *Id.*, p. 25-26, pl. 40, 1.

(4) *Id.*, p. 25-26, pl. 38, 5 ; 39, 4.

(5) *Id.*, p. 25.

Pompeianis prostrata, virum animadverterunt, qui figlinum sigillum cum nummis atque armillis manu comprimebat, velut si fugiens res sibi carissimas, aurum et Penates, a domo auferre voluisset (1). Eamdem ob causam existimare licet sigillum quoddam Deæ nutricis fuisse repertum haud procul a jacentis mulieris corpore (2).

Plurima autem sunt Pompeiana sigilla, quæ tectorum lapsu conturbata et dejecta, quo sederent loco, quem ad cultum aut ornatum pertinerent, non denuntient. Quorum tamen formam et speciem si inspicies, quam aspectu diversissima, quam sepulcralibus sigillis consimilia videantur, miraberis. Ex uno loco, quasi aggere congesta, tanto numero eruta sunt, ut plerique existiment officinam cujusdam fictoris ibidem collocatam fuisse (3). Tria enim et quadraginta sigilla in hoc situ collecta numerare licet, sed forma dissimilia haud amplius quam tredecim : quinque aut etiam novem ejusdem figuræ exemplaria apparent. Inter quæ facillime perspicies Minervam galeatam et clipeatam (4), ejusdem deæ caput in basi positum (5), Amorem et Psychen amplexibus hærentes (6), nudam Venerem (7), barbatum Priapum (8), viros

(1) Rohden, p. 25, 67.
(2) *Id.*, p. 25, 68.
(3) *Id.*, p. 24, 53.
(4) *Id.*, p. 53, 71, pl. 42, 3, 4.
(5) *Id.*, p. 54, 71, pl. 43, 1.
(6) *Id.*, p. 54, pl. 43, 3.
(7) *Id.*, p. 53, pl. 42, 2.
(8) *Id.*, p. 54, pl. 43, 2.

togatos (1), mulierem tunicatam (2), dimidium hominis corpus (3), puerum dormientem (4), leonem (5). Neque desunt, in aliis urbis partibus deprehensæ, ejusmodi figlinæ figuræ, quæ ad res mythicas vel domesticas pertineant : Æneas scilicet, filio comitante, patrem humeris gestans (6), histriones (7), pueri (8), lectica a servis vectata (9). Quæ omnia sigilla omnino congruunt cum ceteris, quæ nuper in deorum templis exposita ostendimus, nec ullo modo dissentiunt ab imagunculis juxta mortuos depositis, ita ut ad eamdem adducamur opinionem, seu monumenta, seu scriptores antiquos perscrutemur, scilicet ad diversissimos usus confecta fuisse sigilla, quorum usus in ornandis ædibus privatis, in delectandis pueris ac virginibus, in colendis Numinibus, in instruendis larariis, in decorandis sepulcris deprehenditur.

(1) Rohden, p. 54-55, pl. 44, 1, 2, 4.

(2) *Id.*, p. 55, pl. 45, 2.

(3) *Id.*, p. 56, pl. 45, 5.

(4) *d.*, p. 55, pl. 45, 4.

(5) *Id.*, p. 71 (13).

(6) *Id.*, p. 48-49, pl. 37, 1.

(7) *Id.*, p. 47, 53, pl. 36, 1, 2; 41, 4.

(8) *Id.*, p. 52, pl. 41, 3.

(9) *Id.*, p. 50, pl. 38, 1. Cf. Marquardt, *Handb. d. Röm. Alterth.*, VII, p. 118, not. 7.

## CAPUT QUINTUM.

### QUID DOCEANT IPSA SIGILLA E SEPULCRIS EFFOSSA.

Nunc ad ipsa sigilla e sepulcris effossa venimus. Et primum consideremus quæ sint in Pompeianis sepulcris, quo manifestior appareat similitudo inter sigilla, quæ in usu fuerunt tum apud viventes tum apud defunctos. De hac re singulare nobis documentum erit persona quædam adolescentis, capillis calamistratis et pileo conspicui (1); namque personam admodum consimilem accipimus in domo Epidii Rufi fuisse repertam (2) : quo indubitato testimonio cognoscimus easdem imagunculas in privatis ædibus et in sepulcris usurpatas fuisse. Præterea animadvertes nihilo discrepare cum sigillis antea descriptis omnia quæ e sepulcris extracta sunt simulacra. In uno se-

(1) H. von Rohden, *Terracotten von Pompeji*, p. 21, fig. 14.

(2) *Id.*, p. 24 : « ... Im Grabe des berühmten blauen Glassgefässes. Dort fanden sich auf dem Boden ausgebreitet dreizehn Statuetten, unter ihnen zwei Thierfiguren. Und ausserdem die in Fig. 14 abgebildete Maske « servita per adornamento di festoni, » deren genau entsprechendes Seitenstück am 19. Februar 1866 « nell' ala destra della casa di M. Epidio Rufo » gefunden sein soll. »

pulcro tredecim jacebant, inter quæ ponuntur figlinæ Martis et Mercurii (1), gladiatoris (2), servorum sarcina onustorum (3) imagines atque par animalium (4). Altera quædam gladiatoris figura, admodum similis, sed aliquanto proceritate major, e Pompeiana domo excerpta traditur (5).

Nonne eamdem formarum varietatem, eamdem similitudinem deprehendimus in figlinis sigillis quæ in Asiæ vel Græciæ sepulcris deponebantur? Quod si inspicies sigilla ex eodem loco educta, nonne multa ad res divinas, plura etiam ad humanas pertinentia senties? Nullus uberior defluxit, ut ita dicam, figlinæ artis fluvius quam e Tanagræa civitate, cujus sepulcra abhinc decem annis explorata et undique effossa opum abundantia nondum deficere videntur. E quibus collecta animadvertes eadem quæ nuper in publicis deorum templis et in privatis ædibus reperta descripsimus. Sunt quoque deorum dearumque imagines (6), sunt comicæ tragicæque personæ (7), sunt histriones (8), adolescentes tunicati (9) et mulie-

(1) Rohden, p. 50, pl. 38, 3; p. 51, pl. 39, 4.
(2) *Id.*, p. 52, pl. 41, 1.
(3) *Id.*, p. 52, pl. 40, 3, 4.
(4) *Id.*, p. 24, 69.
(5) *Id.*, p. 52, pl. 41, 1.
(6) Martha, *Catalogue des figurines en t.-cuite*, 213-256, 264, 265. *Griechische Terracotten im Berl. Mus.*, pl. 27-28. *Collection Lécuyer*, pl. E, H, X. Kékulé, *Thonfiguren aus Tanagra*, pl. 4, 5, 17.
(7) *Collect. Lécuyer*, pl. 1², J², K², L², M².
(8) Martha, *Catalogue*, 399-400.
(9) *Id.*, 257-263, 266-273. *Gr. Terracott. im Berl. Mus.*, pl. 23.

res (1), sunt quoque animalia (2). In ipsis sepulcris nonnulla reperiuntur, quæ nihil nisi puerorum ludis profuisse constat, equus scilicet rotulis circumactus (3), imagunculæ Panos, puerorum, animalium calculis inditis resonantes (4). Nihil igitur video neque in forma neque in arte, neque in statura, quod nos moneat fictores antiquos aliquo discrimine prævidisse, essentne viventibus an mortuis confecta sigilla, essentne in deorum templis, in privatorum civium ædibus, an in sepulcris deponenda? Quam ad sententiam omnibus exemplis nuper expositis adducimur; quam autem non imminutam, sed valde probatam et confirmatam senties, si nobis licet in hac re propriis uti testimoniis et in lucem prodere omnia quæ ipsi inspeximus in Myrinensibus sepulcris (5).

Hoc primum nos monuit ipsa fabricandi ratio. Sæpe fit ut operarius non modo nihil laboret de futuro sigilli usu, sed minimam ad ipsius operis confectionem intendat curam. In promptu sunt typi, haud numero plurimi ; singulis emollita mandatur argilla ; separatim finguntur corpora, capita, brachia, pedes, omnia instrumenta atque ornamenta.

(1) Martha, 274-316. *Gr. Terracott. im Berl. Mus.*, pl. 1-22. *Collect. Lécuyer*, pl. D, K, L, N, U, V, B². Kékulé, *Thonfiguren aus Tanagra*, pl. 1, 2, 3, 6, 7, 8, 9, 10, 14, 16. Heuzey, *Figurines en t.-cuite du musée du Louvre*, pl. 23, 1 ; 25, 3 ; 29, 3 ; 30.

(2) Martha, 402-409.

(3) *Id.*, p. XXVI, 85.

(4) *Id.*, 106, 139, 168, 172, 173, 174.

(5) Cf. Pottier et Reinach, *Fouilles dans la nécropole de Myrina*, *Bull. de corr. hellén.*, VI, p. 197, 388, 557 ; VII, p. 81.

E paucissimis quidem typis fieri potest ut fere innumeræ exoriantur figuræ, si quis summa dexteritate omnia ectypa junxerit et miscuerit (1). Idem corporis truncus Baccho aut Apollini accommodatur (2); idem caput Victoriæ et Amori (3); idem petasus alatus Mercurio et cuilibet adolescenti (4). Si quis in fingendo præpropera festinatione aut ludibrio usus erit, quædam insolentiora nascentur : femineo corpori Satyri caput impositum (5), pistrina deis frequentata (6), Bacchus Amoris alis et Apollinis lyra instructus (7). Quæ quidem inconcinna demonstrant facillime erraturum, si quis acuta cogitatione scrutabitur, quid senserit, quid voluerit artifex. Fit plerumque ut nihil provideat, nisi ut formas lepidissimas et ementibus gratissimas componat. Ipse enim ignorat, quem ad finem empta res posterius adhibeatur, cum multiplex sit sigillorum usus.

Quæ supra diximus, non sunt in majus accipienda, neque nobis in animo est artificibus omnem propositi finis conscientiam detrahere. Ipsis autem e monumentis deprehendere licet, quæ sigilla ad certos usus, quæ ad incertos fictor composuerit. In fere omnibus

(1) Cf. Heuzey, *Monuments grecs*, 1876, p. 12. Martha, *Catalogue*, p. XXIII-XXV. *Bull. de corr. hellén.*, VI, p. 563-565.

(2) *Bull. de corr. hellén.*, VI, pl. 19.

(3) *Id.*, p. 564, pl. 15. Cf. Lenormant, *Gaz. des B.-arts*, mars 1882, p. 207.

(4) Martha, *Catalogue*, p. XXV, 438.

(5) *Id.*, p. XXIV, 920.

(6) *Id.*, p. XXVIII, 40.

(7) *Bull., de corr. hellén.*, VI, p. 564, pl. 19.

locis, e quibus figlinæ eruuntur imagunculæ, duo sigillorum genera animadvertes. Sunt quæ communi quodam aspectu consociata, ad quem usum pertineant, ipsa denuntient. E sigillis Tegeæis facillime intelliges Cereris cultum in hoc loco ante alios viguisse, quippe quæ deam rigido habitu stantem aut sedentem toties exprimant (1) ; ex Olympiacis, Junonis cultum (2), e Cypriis, Veneris (3); e Corinthiis tabellis, Neptuni et Amphitrites (4). Nec dubium est, artifices in mente habuisse cui numini, cui sacrario tantam copiam figlinorum votorum fingerent. Sæpe autem fit ut in iisdem locis quædam alterius generis sigilla reperiantur. Sunt quæ res humanas diversissimo aspectu reddant ; sunt in Tegeæis militum, adolescentium, mulierum saltantium, animalium imagines (5) : nulla ratione, ut videtur, ad Cereris religionem attinent, nisi quod in sacrario a precantibus consecrata fuerunt. Sunt in Cypriis pueri ludentes, histriones, Æthiopes, puellæ scribentes, milites (6). Quomodo contendere possimus, omnia hæc figlina de industria fuisse confecta, ut in Veneris sa-

(1) Martha, *Catalogue*, 541-564, 584-596.

(2) Bœtticher, *Olympia*, p. 235.

(3) Heuzey, *Catalogue des figurines antiques de t.-cuite du mus. du Louvre*, p. 146-157, 183-200.

(4) Milchhöfer, *Arch. Zeitung*, 1880, p. 195. Rayet, *Gaz. archéologique*, 1880, p. 101-107. Collignon, *Annales de la faculté de Bordeaux*, 1882, p. 38-43.

(5) Martha, *Catalogue*, 598-626.

(6) *Bull. de corr. hellén.*, III, p. 88-91. Heuzey, *Catalogue des fig. ant.*, I, p. 197-202.

crariis ponerentur? Quid dicam de tabellis Corinthiis quæ varia vitæ humanæ opera exprimunt, ita ut ea non solum Neptuno, sed cuilibet numini dicare licuerit? Mea igitur sententia, fingebantur in officinis quædam opera, ut ita dicam, præfinita, quorum usus ipso aspectu denuntiabatur ; alia autem in promptu erant, quæ, liberiore artificis consilio informata, nullum, nisi ex emptoris voluntate et dedicatione, accipiebant sensum.

Duo eadem genera in sepulcralibus sigillis esse senties. Collectis fere sexcentis Myrinensibus simulacris, haud ægre discrevimus quæ ad defunctorum religionem pertinerent, quæ autem incertiore cognatorum voluntate juxta defunctos deposita fuerint. Illa animadvertes eadem formarum similitudine conspicua, quam nuper ostendimus in sigillis deorum templa ornantibus ; hæc autem aspectu diversissima. Haud insolenter fiebat, ut in uno sepulcro deprehenderemus viginti Sirenas aut etiam numero plures, nudo corpore, alis pendentibus, crinibus passis et manu compressis, tanquam sibi vim inferrent luctus acerbitate (1). Nec dubium, quin habitu et gestu cognatorum pro defuncto lugentium dolorem et sollicitudines significarent. Amores quoque invenimus inversæ faci innixos, vultu mœrentes ; eosdem lecto cubantes et quasi mortis somno oppressos ; mulieres aut viros in convivio funebri sedentes atque cœnantes (2) ; imagunculas tandem alatas, quæ incerto

(1) *Bull. de corr. hellén.*, VI, p. 576-577.

(2) *Ibid.*, VI, p. 577-579.

quodam aspectu, ore velato, rigido corpore, defunctorum animas in Inferis volitantes exprimere videntur (1). Quis dubitat quin hæc omnia in officinis confecta fuerint, minime ad quemque usum communia, sed ad funebres cærimonias peculiariter accommodata? In iisdem autem sepulcris festivum illud reperitur agmen, quod nuper in aliis locis mirabamur, ludentes scilicet pueri, mulieres lepidissimæ, faceti histriones, servi et mercatores (2). Neque desunt deorum dearumque imagines, quæ nos doceant communem quamdam fuisse viventibus et mortuis religionem, ita ut eadem figlina opera tanquam vota in deorum templis consecrarentur, in privatis larariis exponerentur, in sepulcris quoque deponerentur.

Quam quidem ad confirmandam opinionem nonnihil adjumenti nobis præbent inscriptæ litteræ, quæ primo in Myrinensibus sigillis frequentes apparuerunt, ita ut nobis cognoscere liceret, cujus nominis artifices figlina illa simulacra finxerint, quæ officinarum copia in civitate Myrinensi floruerit (3). Quasdam autem litteras animadvertimus, quæ, stylo peracuto in argilla indurata incisæ, non fictoris nomen significant, sed potius emptoris manu appositæ fuisse videntur, seu quis rem sibi comparatam consignare voluerit, seu nomen amici sigillo condonato

(1) *Bull. de corr. hellén.*, VI, p. 579-580.

(2) *Id.*, V, pl. 14, 15, 16; VI, pl. 4, 7, 10, 12, p. 573-576; VII, pl. 10, 11, 12, 13, 14.

(3) *Id.*, VII, p. 204-230.

inscribere (1). Quod quidem pervulgatum vasis inscriptis, quorum nonnulla obsignatis nominibus, amatoriis verbis, carminibus ad bene potandum vel ad bene vivendum hortantibus, votis et supplicationibus ad deos conversis, se viventibus in usu fuisse testantur (2), priusquam in sepulcris ponerentur. Nonne eadem de paucis sigillis existimare licebit? Quid mirum, si quis nonnullas imagines sibi viventi gratissimas secum in sepulcro sepeliri voluerit?

Singulare quidem hujus sententiæ firmamentum esse dices, si attente despicies sigilla quæ, nuper in Myrinensi quodam sepulcro reperta, nunc primum tabula nostra proponuntur (3). Quo modo disposita effodientibus apparuerint, quo modo cremata et sine ordine in fossa jacentia, jam antea diximus (4). Eadem tamen forma et arte insignia atque ceteris præcellentia animadvertes; quorum nonnulla cum venustis Tanagræorum operibus in certamen adducere non dubito, quinque præsertim figuras in medio positas, inter quas virginem genu nixam cum Tanagræis puellis flores carpentibus aut ossicula ludentibus conferre licet (5). Nonne igitur miraberis omnia illa sigilla eo modo dejecta fuisse, ut nihil ordinati, nihil compositi ad ornandum sepulcrum præberent;

(1) *Bull. de corr. hellén.*, VII, p. 229-230.

(2) Cf. O. Jahn, *Beschreibung der Vasensammlung zu München, Einleitung*, p. CXI-CXV, CXXI-CXXXI.

(3) Cf. tabulam opusculo nostro adjunctam.

(4) *Bull. de corr. hellén.*, VI, p. 431-432.

(5) Eadem figura seposita exponitur altera quadam tabula, *Bull. de corr. hellén.*, VII, pl. 11.

omnia autem confusa atque concussa, omnia ignis ardore corrupta? Cum autem expedita e pulvere in lucem venerunt, non fuit dubitandum, quin seriem quamdam ordinatam atque instructam ab origine composuerint. Manifestum enim apparebat omnia inter se vinculo quodam hærere connexa; nam, si quis continuato agmine quatuordecim has figuras disposuerat, singulas habitu et statura paululum diversas suum in certo ordine locum poscere sentiebat; ita ut tres velatæ mulieres in medio starent, ut duo acclinatæ mediam cingerent atque inter se consentirent, ut denique in sinistro dexteroque latere quinque figuræ etiam atque etiam minores collocarentur (1). Præterea, ne quid dubii superesset, ex eadem fossa eruebatur figlina quædam basis, quæ, miro modo mediæ figuræ congruens, eam in locum paulo excelsiorem erigebat, ita ut super alias emineret et ceteras utrinque in se, quasi in fastigium et culmen, vergentes ostentaret.

Hoc quoque animadvertes, non ad rem mythicam aut historicam pertinere figurarum seriem. Nullo inter se cohærere vinculo videntur, nisi ipsa specie ordinata, ipsa habitus et staturæ convenientia. Dissentiunt igitur a quibusdam figuris ordinatim compositis, quas in Græciæ, Italiæ, aut Bosphori Cimmerii sepulcris repertas fuisse accepimus. Quæ quidem prolis Niobææ, Proserpinæ a

(1) Quam ob causam deficiat una in dextero latere, quæ omnino rupta et comminuta periit, diximus, *Bull. de corr. hellén.*, VI, p. 432.

Plutone raptæ, Nereidum imagines exprimunt atque dicuntur funebribus arcis aut sepulcri parietibus affixæ fuisse ornamenti gratia (1). Illæ autem, de quibus disputamus, ad res mythicas minime attinent neque unquam profuerunt ad decorandam funebrem defuncti supellectilem, cum omnia dispersa atque confusa invenerimus (2).

Quid igitur superest, nisi ut existimemus ad quemdam viventis usum eas fuisse accommodatas, priusquam cum defuncto sepelirentur? Quem autem usum dicemus? De hoc quidem nobis non licet aliquid certum atque præfinitum proponere. Nonne autem fieri potuit, ut fictor sibi licentiam dederit componendi seriem quamdam mulierum habitu et statura inter se cohærentium, quo gratiores oculis apparerent? Alteram autem interpretationem non repudiamus, si quis cogitarit privatum quemdam his imaginibus usum esse in larario, ut nuper in Pompeianis ædibus exploratum est, ita ut festivum ordinatumque mulierum agmen sub tutela Penatium, tanquam vota, posuerit. De origine, quæcumque est, non laboramus. Satis est constare inter nos hanc

(1) Cf. Ross, *Archäologische Aufsätze*, I, p. 71. Curtius, *Zwei Giebelgruppen aus Tanagra*, Berlin, 1878. Stephani, *Compte rendu de la Comm. archéol. de Saint-Pétersbourg*, 1863, p. 166, pl. III, IV; 1867, p. XI; 1868, p. 58, pl. II. Blümner, *Technolog. u. Terminolog.*, II, p. 131, not. 4, p. 335, not. 5.

(2) Ne quis hanc ruinam e terræ aggestæ pondere vel e rerum vetustate natam cogitet, conferat quot exempla proposuerimus sigillorum de industria fractorum atque in omnes fossæ partes dejectorum, *Bull. de corr. hellén.*, VI, p. 406-407. Cf. Martha, *Catalogue*, p. X.

figurarum seriem non ad defunctorum, sed potius ad viventium usum pertinere. Inde manifestum apparebit, non æquo jure funebria dici omnia sigilla quæ in sepulcris reperiuntur. Fieri enim potuit ut eadem viventibus in promptu essent, priusquam cum defunctis sepelirentur.

# CAPUT SEXTUM.

## QUOUSQUE FUNEBREM SENSUM IN FIGLINIS SIGILLIS QUÆRERE ÆQUUM SIT.

E rebus antea expositis haud ægre perspicies quid sentiamus de funebri figlinorum sigillorum sensu. Quæ sigilla funebria sint appellanda æquo et indubitato jure, diximus. Ea enim neminem fallunt, quo habitu et gestu defunctorum immortalitatem et cognatorum sollicitudines in mentem revocent (1). Cetera autem censemus diversis usibus communia fuisse neque ulla lege, nisi ementium voluntate, ad funebres cærimonias accommodata. Hinc dissentimus a plerisque de sigillorum natura et sensu disserentibus. Hoc enim quasi fundamentum disputationis posuerunt, rem funebrem esse figlina sigilla, quia in sepulcris reperiuntur. Rogant autem alii, num funebria quoque existimemus quæcumque in sepulcris jacent, patellas scilicet, capsas, pocula, specula, discernicula, strigiles? Omnem hanc supellectilem esse viventium scimus, nec alia causa in sepulcris depositam, quam

(1) Vid. sup., p. 81-82.

ut defuncti solitis vitæ exercitationibus indulgeant. Ista igitur sorte quadam et occasione funebria dices; natura autem et origine minime. Neque tamen omnino consentimus cum illis qui e figlinorum sigillorum usu religionem quasi detrahere conantur atque eadem ad decoranda sepulcra, velut ad ornandas viventium ædes, confecta existimant. Quanquam enim quamdam habuit partem ars figlina in privatorum delectamentis, in puerorum et virginum ludis, plura certe ad religionem opera ficta sunt, seu quis Deos in publicis delubris, seu Penates in privato larario colere voluerit. Hoc docent scriptorum opera, hoc excerpta e monumentis documenta, hoc quoque effodientium testimonia. Præterea nos monent maximam fuisse in votorum forma varietatem, ita ut non solum divinis mythicisque imaginibus deos Græci coluerint, sed quocumque artis opere et vilissimis etiam vitæ quotidianæ instrumentis.

In hanc igitur sententiam intenti, non mirabimur quam diversa, quam inter se repugnantia videantur sigilla in sepulcris reperta. Non mirabimur deorum dearumque imagines histrionibus et pueris ludentibus mixtas, et verendam Cereris obvelatæ effigiem cum saltatrice copulatam. Non quæremus quo miraculo eumdem sensum in dissimilibus illis figuris Græci posuerint? Non enitemur ut omnia illa inter se congruere ostendamus. Nostra quidem sententia, non quærendum est, quem funebrem sensum fictor ipse sigillis tribuerit, qua mentis cogitatione imagunculas composuerit. Quæ enim illi voluntas, nisi ut

opus in publico proponat et venditet? Cum autem diversi sint sigillorum usus apud Græcos, hæc opificis provincia in fingendis sigillis, quemadmodum in pictis vasis aut anaglyphis conficiendis, ut plerisque satisfaciat, seu quis numini vota dicare, seu domus lararium exornare, seu defunctos donis colere velit. Inde fit ut quædam sigilla certa et præfinita forma, ad quem usum pertineant, denuntient; ut quædam alia sese incerta et, ut ita dicam, suæ sortis incuriosa præbeant. Quid plura? Ut omnia uno verbo complectamur, multis sigillis sensum, non fictoris cogitatione, sed emptoris voluntate et usurpatione datum esse censemus.

Qua quidem sententia nostræ interpretationis quasi fontem et principium patefecimus. Quod si ars figlina fuit omnino libera neque in perpetua rerum funebrium cogitatione implicata, quid mirum, eam in longa sæculorum serie tot formis variasse? Ut vasorum pictura, nova Polygnoti arte instructa, sensim melior fiebat, ita res figlina a sculptorum operibus fingendi rationem trahebat et paulatim immutabatur. In omni ætate, figlina opera cum marmoreis aut lapideis figuris mire congruentia videre est. Quod si vetustissimas tabellas in impressa argilla excisas conferes cum priscæ artis anaglyphis, eosdem in utrisque habitus, eosdem vultus rigore torpentes, eadem corpora rectis lineamentis descripta animadvertes (1). Specie admodum simili se præbent per-

(1) Cf. Schœne, *Griechische Reliefs*, 124-136. Welcker, *Monumenti ine-*

antiquæ deorum imagines , sive ex argilla , sive e lapide expressæ. Non te prætereunt figlinæ mulieris stantis figuræ quæ, manibus pendentibus et corpori hærentibus, tunica adstricta, pedibus quasi colligatis, non multum differunt ab antiquis simulacris, quæ ξόανα dicebantur (1). Insigniorem etiam similitudinem perspicies inter imagunculas Cybeles in solio sedentis et præclara illa simulacra quæ prope Milesium Apollinis fanum stabant (2). Haud igitur mirabimur fere omnia sigilla in sepulcris antiquissimæ ætatis deposita ad res mythicas divinasque pertinere. Nihil enim fictores curabant, nisi ut, qualia sculptores, talia ipsi conficerent; nec quemquam fugit sculpturam apud Græcos in fingendis deorum simulacris diutissime hæsisse. Quemadmodum igitur ars antiquissima in templis nihil nisi rudes et rigentes deorum imagines ponebat, ita sepulcra ornabat figuris eodem rigore insignibus et ad res divinas pertinentibus.

Quinto autem exorto sæculo, clarissimorum virorum ingenio quasi in libertatem vindicata, ars ad

*diti*, 1830, pl. 18 b. Martha, *Catalogue*, 1-12, 784-792. Rayet, *Bull. de corr. hellén.*, III, p. 329-333, pl. 13. *Id.*, *Monuments de l'art antique*, fasc. I, pl. 9 (*Danseuse jouant des crotales*). Collignon, *Bull. de corr. hellén.*, V, p. 436.

(1) Martha, *Catalogue*, 14-17, 213-223. Longpérier, *Catalog. des antiq. du Mus. Napol.*, pl. 26.

(2) Heuzey, *Sur les origines de l'industrie des terres-cuites* (Acad. des Inscript., 17 nov. 1882), p. 18. Martha, *Catalogue*, 21-24, 226-239. Panofka, *Terracotten des kœnigl. Museum zu Berlin*, pl. 2. *Gazette archéologique*, 1876, p. 68. Newton, *A history of discoveries at Halicarnassus, Cnidus and Branchidæ*, I, pl. 46, 5. Overbeck, *Geschichte der Gr. Plastik*, I, p. 94, fig. 11.

vitæ humanæ imitationem inclinavit; atque inde defluxere opera exquisito labore et formarum varietate mirabilia, ita ut non modo res sacræ et heroum fabulæ, sed civitatum festa publica, nuptiarum et funerum ritus, juvenum exercitia, puerorum ludicra, res muliebres, serviles, forenses, scenicæ exprimerentur. Sic mutatis rebus, ars figlina quoque mutabatur, neque alia causa quærenda nobis videtur, cur, eodem tempore, tot effloruerint sigilla, potius humana quam divina specie induta. Non est quod mores vetustiores atque obsoletos recentiore funerum ritu revocatos existimes, nec operæ pretium est originem mutationis illius quærere in pristinis hostiarum humanarum sacrificiis. Ipsa artis conversione necesse erat, ut eadem fieret in figlina mutatio. Quæ non modo in sigillis ad vitam domesticam pertinentibus, sed in ipsis deorum imaginibus deprehenditur. Permanserunt quidem usque ad ætatem recentiorem vetustiores figurarum formæ, ita ut in eodem sepulcro reperire liceat rigidam Cereris obvelatæ faciem et pueri Romana bulla ornati simulacrum. Sæpius autem constat novæ artis præcepta fictoribus placuisse, qui figlina opera ad imitationem statuariæ haud semel informaverunt. Ne plura commemorem, perspicies in Myrinensibus sigillis quatuor Veneris imagines, quæ inclitissima sculptorum aut pictorum opera imitantur : dea enim tunicata et malum manu gestans (1) multis marmo-

(1) *Bull. de corr. hellén.*, VI, pl. 18; VII, p. 90-91.

reis statuis exprimitur ; nudata autem et genu nixa (1) a Dædalo primum inventa traditur; hinc nuda, quæ vulgo Pudica ; illinc, quæ Anadyomene dicitur (2), Praxitelis et Apellis auctoritate illustrantur. Neque alia desunt monumenta quibus demonstrare liceat, quoties ars figlina in divinis conficiendis imaginibus abunde usa sit statuariis exemplis (3).

Omnibus his argumentis manifestum apparet, quod sit in fingendis sigillis consilium artificis, quo modo omnem intendat curam ad formarum elegantiam et varietatem, quid valeat emptoris voluntas qui, suo arbitratu, sigillis sibi comparatis utitur, quam diversis usibus hæ imagunculæ accommodentur, qua artis vicissitudine variaverint. At enim, de aliqua re nonnihil superest dubitationis. Qui fit ut Græci divinas domesticasque imagines acervatim juxta defunctos deposuerint? Ut sigilla, licet forma et arte diversissima, eumdem erga Manes cultum significaverint? Quod quidem nos inducit in novam disputandi viam, quæ ad ipsa funera atque defunctorum religionem pertinet.

(1) *Id.*, VI, pl. 17; VII, p. 90. Cf. Martha, *Monuments de l'art antique*, publiés par M. Rayet, fasc. IV, *Vénus de Vienne*.

(2) *Id.*, VII, p. 88-90.

(3) Cf. *Bull. de corr. hellén.*, VII, p. 88-92. Collignon, *Manuel d'archéologie grecque*, p. 239-241.

## CAPUT SEPTIMUM.

### QUÆ RELIGIO GRÆCOS SUASERIT UT DEFUNCTOS SIGILLIS COLERENT.

Primum quidem de origine vetustissimi illius moris, quo sacræ deorum dearumque imagines in sepulcro ponebantur, fere nulla exoritur dissensio. Etiam inter dissentientes de pluribus rebus constat, his imaginibus usos esse Græcos, quæ defunctos tuerentur et deos inferos illis propitios facerent (1). Omnis enim ex illa sententia quasi manavit religio quæ ad funera pertinet, mortuum in sepulcro nescio quam vivere vitam et iisdem necessitatibus, otiis, laboribus indulgere, quibus in terra solebat. Qua antiquissima auctoritate illa opinio valuerit, non solum apud Græcos, sed apud omnes antiquitatis gentes, quo modo ab Ægyptiorum religione ad cunctos Asiæ Minoris populos et postea ad Græcos defluxerit,

(1) Cf. Heuzey, *Monuments grecs*, 1873, p. 22; Rayet, *Gaz. des B.-arts*, 1875, p. 555.

scientia excellenti ac singulari nuper demonstrabatur (1). De hoc igitur nulla fit dubitatio, mortuos imaginibus sacris quasi tutela et patrocinio in dubia mortis via usos esse.

Hanc autem religionem, quæ viventes ad res necessarias vel gratissimas defunctis suppeditandas hortabatur, altera quædam cura, ut opinor, adjuvabat. Non modo sua eos movebat pietas, ut donis et impensis mortuum solarentur; sed ipsa suadebat utilitas, ne quid muneris illius negligerent. Eadem enim antiquitate, eadem auctoritate valuit apud Græcos sententia, quæ magnam defunctorum Manibus vim et potestatem tribuebat. Hoc docent scriptorum testimonia, hoc documenta in monumentis atque titulis inscripta, Manes a viventibus quasi deos haberi. Non est quod fruantur omnibus divinæ conditionis facultatibus et commodis, quippe qui, ceteris Numinibus impares, legibus et imperio deorum immortalium regantur. Superis inferiores, hominibus superiores, medium quasi locum obtinent. Gravissima tamen auctoritate utuntur et, ut qui maxime, a viventibus coluntur. Fit enim ut, in sepulcro residentes, a terra non omnino discedant, ut cum viventibus aliquid societatis et conjunctionis retineant, ut rebus humanis favere aut nocere possint. Si quis eos

(1) Cf. Maspéro, *Bulletin hebdomadaire de l'Association scientifique de France*, n° 594, *Conférence sur l'histoire des âmes dans l'Egypte ancienne; Id.*, *Journal asiatique* (mai-juin 1878, décembre-juin, novembre-décembre 1879, mai-juin 1880); Perrot et Chipiez, *Hist. de l'Art dans l'antiquité*, I, p. 129-195; Halévy, *Revue archéologique*, juillet 1882, p. 44-53.

debitis honoribus colit, Manes sibi propitios et faustos facit; sin autem negligit, eosdem iratos et omni modo infensos habet. Quod quidem perspicuis Plato significat verbis (1); quod plurimis Græcorum Latinorumque scriptorum testimoniis probatum et exploratum scimus (2). Pervulgatum quoque, quæ propria et peculiaris religio ex illa Manium auctoritate orta sit. Cum enim medium occuparent locum inter mortales et Superos, necesse erat ut divinæ voluntatis quasi interpretes fierent. Inde tot oracula Manium ministerio edita ; inde cærimoniæ, quibus ab inferis in terram excitabantur, ut vera patefacerent, ut futura prænuntiarent (3).

Quid tum inde? Nonne nobis credere licet figlinas imagunculas ab origine locum in sepulcris habuisse, non modo quæ defunctos tuerentur, sed quæ simul viventibus Manes propitios redderent? Duplicem, ut ita dicam, religionis illius originem perspicimus ; duplicem quoque in sigillis sensum, cum defuncti sub tutela deorum se subjicerent, viventes autem sub tutela defunctorum. Figlinæ igitur figuræ non modo dona habendæ sunt et pietatis erga defunctos testi-

(1) Plato, *Leges*, XI, p. 926, 927. Εἰς τινα γὰρ οὖν μοι καιρὸν φαινόμεθα τοὺς ἔμπροσθεν λόγους διεξελθεῖν, ὡς ἄρα αἱ τῶν τελευτησάντων ψυχαὶ δύναμιν ἔχουσί τινα τελευτήσασαι, ᾗ τῶν κατ' ἀνθρώπους πραγμάτων ἐπιμελοῦνται · .... εἶτα τὰς τῶν κεκμηκότων ψυχὰς, αἷς ἐστὶν ἐν τῇ φύσει τῶν αὐτῶν ἐκγόνων κήδεσθαι διαφερόντως καὶ τιμῶσί τε αὐτοὺς εὐμενεῖς εἶναι καὶ ἀτιμάζουσι δυσμενεῖς.

(2) Cf. Fustel de Coulanges, *La Cité antique*, p. 15-20. Perrot et Chipiez, *Hist. de l'Art dans l'antiquité*, I, p. 134.

(3) Cf. Bouché-Leclercq, *Histoire de la Divination*, I, p. 330-340; III p. 363-368. Girard, *Le sentiment religieux en Grèce*, p. 474-493.

monia, sed religionis vota et reverentiæ erga Manes signa (1).

Huic opinioni si assentieris, facillime intelliges quam ob causam sigilla in sepulcris reperta miram præbeant similitudinem cum figuris deorum sacraria aut privatorum lararia ornantibus. Quodam enim communi sensu conjunguntur, quippe quæ tanquam vota Diis aut Penatibus aut Manibus consecrentur. Quo sensu non solum deorum dearumque imagines interpretari licet, sed singula quoque sigilla ad privatas et domesticas res pertinentia.

Jam antea exposuimus, vota diis dicata non ea fuisse quæ per se sacram et religiosam haberent naturam. Hoc ante omnia, ut opinor, religionem antiquam a recenti distinguit, quod, nostra ætate, prima specie sine dubio agnosces quid sit sacrum, quid religioni accommodatum et proprium. Verum apud antiquos nihil est, quod a rebus sacris alienum dicas; imo vilissima quæque suum in religione locum tenuisse affirmes. Etenim a scriptoribus et titulis inscriptis accepimus, quale fuerit templorum instrumentum. Tempus me deficiat, si enumerare velim quot res in cella collocatas, quot dona congesta, quot vota sacerdotes in sumptuariis rationibus descri-

